# VISIO TNUGDALI

EDIDIT

OSCAR SCHADE

PHIL. DR. UNIV. REGIM. PROF. P. O.

COMMENTATIO SEORSIM EDITA
EX PROGRAMMATE UNIVERSITATIS ALBERTINAE
QUO NATALICIA PRINCIPIS GENEROSISSIMI WILHELMI PRIMI
DIE XXII MARTII ANNI MDCCCLXIX PIE CELEBRANDA
INDICUNT PRORECTOR ET SENATUS

PROSTAT HALIS SAXONUM IN LIBRARIA ORPHANOTROPHEI

MDCCCLXIX

Visio Tundali vel, ut verior nominis forma est, Tnugdali de poenis purgatorii inferni et gaudiis paradisi, una ex iis fabulis quae Italorum poetarum principem in opere divino concipiendo adjuverunt, a medio seculo duodecimo, quo fictam illam esse constat, per reliquum medium aevum in deliciis legentium fuit. etiam brevioribus quodammodo verbis a Vincentio Bellovacensi in speculum historiale lib. 27 cap. 88—104 recepta est, unde primis post inventam artem typographicam temporibus typis saepius exscripta et vulgata: vide Ebertum in lexico bibliographico 2, 987 et Ludov. Hainium in repertorio bibliogr. 2, 2, 417. nec defuerunt tunc temporis qui hunc textum latinum in linguas vulgares verterent, in belgicam et in Germaniae superioris linguam: v. Ebertum et Hainium locis citatis.*) omnes hi libri veteres impressi et latini et versiones, quod equidem sciam, non textum integrum praebent, sed textum Vincentii in brevius contractum. integer liber hucusque nondum typis expressus esse videtur.

Liber de visione Tnugdali quam celeriter divulgatus sit, ubi primum compositus est, testes sunt duo carmina theotisca, ipso eodemque seculo i. e. duodecimo orta: alterum ab anonymo in regionibus Rheni inferioris, ut genus linguae docet, circa annum 1180 conscriptum, cujus fragmenta tantum exstant, quae ex thesauris bibliothecae Meusebachianae edidit Carolus Lachmannus anno 1836 in commentatione über drei Bruchstücke niederrheinischer Gedichte aus dem 12. u. aus dem Anfange des 13. Jhdts., impressa in Abhandlungen der kgl. Academie der Wissenschaften zu Berlin philos.-histor. Classe v. J. 1836 pag. 161 sqq.; alterum ab Albero presbytero in Germania superiore eodem seculo 12 exeunte compositum, integrum adhuc exstat in codice Vindobonensi bibliothecae Caesareae nr. 2696 sec. 14 p. 111—125 (vide Hoffmanni Fallerslebensis catalogum nr. XI pag. 27 sqq., tabulas codicum in bibl. palat. Vindob. asserv. 2, 119) et ab Hahnio in Gedichte des 12. u. 13. Jhdts. Quedlbg. 1840 pag. 41—66 e codice descriptum est.

Quod Lachmanno, cum fragmenta illa ederet, carminis fontem requirenti non contigit, ut librum integrum visionum Tnugdali latinum haberet (habuit enim praeter prologum Marci in Martenis thesauro novo anecdotorum tom. 1 col. 490 sq. ex codice mscr. Carthusiae Vallis-Dei exscriptum, textum tantum a Vincentio Bellovacensi in brevius contractum, ex quo eos qui ad fragmenta sua pertinent locos exhibuit), nos post annorum triginta fere trium intervallum explere posse gaudemus, codice usi etiamsi non ejusdem quo visio illa scripta est aetatis sed fere uno et dimidiato seculo recentiore, tamen bono, a librario haud incurioso, qui bonum exemplar unde descripsit secutus

---

*) Praeter libros veteres, qui locis citatis indicati sunt, innotuit mihi etiam alius, quem quidem nusquam alibi notatum reperio, impressum Argentorati anno 1514: sunt 28 folia in 4°, titulus fol. 1r. est *Disz büchlin sagt von einer verzuckten selen eines ritters genant Tondalus von denen dingen so sie gesehen hat, als von pein der hellen und des fegfüres, von freude ewiger seligkeit, und vil ander hübsche ding die nütz und seltsam seind zu wissen.* subter hoc titulo est figura equitis his verbis circum inscriptis *Tondalus der ritter.* fol. 1v. leguntur verba *Disz büchlin sagt von einer verzuckten selen eines ritters genant Tondalus*, subter quae eadem figura xylographica repetita est. textus versionis fol. 2r. incipit. singulis capitibus figurae xylographicae satis rudes additae sunt, quibus angelus semper veste ad imos pedes defluente indutus et alatus apparet, anima vero quasi infans nuda. folio ultimo legitur *disz büchlein ist getruckt in der fryen stat Straszburg von Mathis Hüpfuff. Als man zalt* 1514 *jar.*

eſt, ſatis eleganter exarato. eſt hic codex membranaceus Giſſensis bibliothecae academicae publicae Senckenbergianae (quondam Viennenſis bibliothecae archiepiſcopalis), nr. 126 4° maj. (in catalogo Adriani p. 232 ſq. nr. DCCLXXVII) miscellaneus, diverſis manibus ſec. 13 exeunte et ſec. 14 (non, ut vult Adrianus, Senckenbergium ſecutus, ſec. 12 et 13) ſcriptus, in quo fol. 121r. — 136 v. liber noſter de viſione Tnugdali militis eſt. ſequuntur fol. 136 v.—139 r. nonnulla ad libri ipſius textum non pertinentia, ſcilicet tria capita, in quibus quae antea narrata ſunt excuſantur et explicantur, et unum caput ex Gregorii dialogorum lib. 4 cap. 36 ſq. exſcriptum (edit. operum Gregorii Benedict. Paris. 1705 tom. 2 col. 432—436), quo ſimiles quaedem praecedentibus fabulae narrantur, denique mali aliquot verſus additi ſunt: quas res omnes tamen ommittere noluimus ſed typis minutioribus exprimi curavimus. In libro edendo id egimus ut lapſus calami librarii corrigeremus (de quibus videas indicem in calce ſubjectum), distinguendae orationis ſigna ex noſtro more poneremus, ſingulis capitibus numeros adderemus, ſcripturae compendia et verborum notas (quae quidem in codice paſſim ſunt minus uſitata) ſolveremus, ceterum ſcribendi rationem, qua uſus eſt librarius, quam diligentiſſime ſervaremus, quo etiam iis, qui orthographiae latinae hiſtoriae ſtudent, ſatisfactum ſperamus.

Quae Lachmannus l. c. de argumento libri judicavit 'der Inhalt dieses Buches wird einer näheren Betrachtung leicht mancherlei bedeutende Gesichtspunkte gewähren' etiam nobis videtur, sed de hac re, quia ſpatium nunc deeſt, alias ſcribemus, eo nunc contenti ut libro integro in lucem prolato quaeſtionum poſteriorum quaſi fundamentum poſuerimus.

---

## Incipit prologus Marci in uisionem Tnugdali militis.

Uenerabili ac deo deuote domine G. dei dono abbatiſſe frater Marcus sibi deuotus famulus utinam tam ualidum quam paratum ſeruicium. Cum multi ſint uocati, pauci uero electi, non eſt magnum argvmentum ad probandam rei dubie fidem, hanc eſſe laudabilem, que a multis laudatur. Nam quia ſecundum prophete ſentenciam humanum genus a principio procliuius eſt ad peccandum, ei arbitramur conſultiſſimum ac decentiſſimum pre ceteris eſſe parendum, quam cuſtoditis bone fame floſculis a nullo reprehenſibilem fore reperimus, que valet dicere cum apoſtolo 'bonus odor deo ſumus'. Ea propter ſacra uirgo et domina G. caritatiuam et ualde deuotam bone intencionis ueſtre peticiunculam uobis negare nequaquam poſſumus, licet eulogijs noſtre preſencie dignis eam interpolire minime poſſimus. Sicut enim ait orthodoxorum quidam eruditus 'uires quas impericia denegat caritas miniſtrat', nos eius ueſtigia ſectantes, ſimul et in ueſtris ſanctis oracionibus confidentes, ipſam uerecundiam poſtponimus et noſtram inſipienciam uobis oſtendere non erubeſcimus; melior enim eſt obediencia quam uictime, ea maxime que maioribus impenditur; et nos confidimus quod conpati pocius quam inſultare uelit ueſtra prudencia noſtre inſipiencie. Placuit namque ueſtre prudencie, quatenus myſterium, quod oſtenſum fuerat Tnugdalo cuidam Hybernigeno, noſter ſtilus licet ineruditus de barbarico in latinum tranſferret eloquium, ueſtreque diligencie mitteremus tranſſcribendum. Opus quidem utile licet breue, ego autem inops et pene latine eloquencie ignarus, uobis tamen deuotiſſimus, ipſam materiam, prout mei ingenioli paruitas replicare potuit, offerre me non piguit, hylarem autem datorem diligit deus: rogans tamen ut, ſi qua ibi fuerit minus compendioſe interpolata ſentencia, emendare et conpetenter cudere ueſtra erudita non erubeſcat ſollercia. Accipite ergo breue munuſculum ſimplicis ſtili et indocte lingue cum deuotis precibus, et ſi quid ibi uideritis minus correctum, hoc noſtre imputetis impericie; ſin autem aliquid in ea ueſtre placuerit prudencie, diuine gracie et ueſtris oracionibus attribuite, et nolite bonam certamque materiam contempnere, licet ei dictamen minime uideritis conuenire. Noſter enim eſt ſtilus, ſed Chriſti eſt opus. Ergo, o ſapiens et felix domina, memoramini prouerbij 'amici uicia ſi non ſufferas, facis tua'. Vos igitur, quia libenter ſuffertis inſipientes, cum ſitis ipſa ſapiens, ſuſtinete etiam hoc modicum quid inſipiencie mee. Scripſimus autem uobis fideliter, prout nobis ipſe qui hec uiderat eandem uiſionem narrauit uel retulit. Viſa eſt namque ipſa uiſio MCXLIX° ab incarnacione domini anno, qui eſt ſecundus annus Chunradi regis Romanorum expedicionis Hieroſolimorum, qui eſt quartus annus Eugenij pape II apoſtolatus, quo anno de Galliarum partibus Romam eſt reuerſus. Ipſo etiam eodem anno Malachias Dunenſis epiſcopus

Hyberniensium legatus, cuius uita et doctrina tota occidentalis fulsit ecclesia. Rome ueniens in Clareualle defunctus est, cuius uitam miraculis plenam Bernardus Clareuallensis abbas satis luculento sermone transscripsit. De quo mencionem nos suo domino concedente facturi sumus. Nemias etiam Clonensis episcopus, uir sapiencia et genere et sanctitate preclarus, sanctus ac uenerabilis senex annorum XCV, in propria cathedra eodem anno de laboribus huius uite certamine ad gaudia migrauit perpetue uite. De cuius uita et miraculis, quia uos nonnunquam sanctorum exempla desiderasse ad uestram edificacionem aliqua diximus. Sed quia nostri non est propositi modo tragedias texere, ad commissum nobis opusculum deo adiuuante properemus.

## Viſio cuiusdam militis Hyberniensis ad edificacionem conscripta.

### I. De situ Hybernie primo.

Hybernia igitur inſula eſt in ultimo occidentali oceano poſita, ab auſtro in boream porrecta, ſtagnis et fluminibus precipua, nemoribus inſita, frugibus fertiliſſima, lacte et melle omnibusque piſcacionis et uenacionis generibus opulenta, uinearum expers ſed uini diues, ſerpentium ranarum bufonum et omnium animalium uenena ferencium ita inſcia ut eius lignum aut corrigia aut cornu aut puluis omnia uincere noſcantur uenena; religioſis uiris et feminis ſatis preclara, armis autem crudelis et inclita; cominus ad meridiem habens Angliam, ad ortum uero Scotos et Britones, quos quidam Galenſes uocant, ad boream autem Cattos et Orcados, ex aduerſo uero ad auſtrum Hyſpanos. Hec ergo inſula ciuitates habet precipuas XXXIIII, quarum preſules duobus ſubſunt metropolitanis: Ardimacha namque ſeptentrionalium Hyberniensium eſt metropolis, auſtralium autem precellentiſſima eſt Caſelenſis, de qua ortus eſt quidam uir nomine Tnugdalus nobilis, cuius crudelitas uel pocius in eo quod egit deo pietas noſtro huic opuſculo materiam dedit. Erat namque uir prefatus etate iuuenis, genere nobilis, uultu hylaris, aſpectu decorus, curialiter nutritus, ueſte compoſitus, mente magnanimus, militari arte non mediocriter inſtructus, habilis affabilis atque iocundus, uerum (quod ego non ſine dolore poſſum dicere) quanto confidebat in corporis forma et fortitudine, tanto minus curabat de anime ſue eterna ſalute. Nam (ut ipſe modo ſepius cum lacrimis ſolet confiteri) grauabat eum, ſi quis ei de ſalute anime aliquid licet breuiter uellet dicere. Eccleſiam dei neglexerat; pauperes autem Chriſti etiam uidere nolebat, ſcurris mimus et ioculatoribus pro uana gloria diſtribuerat quitquit habebat. Sed cum tot malis diuine miſericordie finem dare placuit, eum quando uoluit prouocauit. Nam ut plurimi Coreagenſis ciuitatis teſtantur incole, qui ei tunc aderant, per trium dierum et noctium ſpacium iacuit mortuus: per quod ſpacium amare didicit quitquit antea ſuauiter deliquit, nam uita eius preſens teſtatur quecunque paciebatur. Paſſus eſt enim plurima incredibilia et intollerabilia tormentorum genera, quorum ordinem ſiue nomina, ſicut ab ipſius qui uiderat et patiebatur ore didicimus, nos ad augmentacionem ueſtre deuocionis uobis ſcribere non grauabit. Hic igitur cum multos haberet amicos ſodales, inter eos unum habuerat, qui ei conmutacionis debito trium equorum debitor erat. Hic

cum ſtatutum preſtolaretur terminum, ſuum transacto tempore conuenit amicum. Qui cum ibi receptus perendinaret tribus noctibus, cepit tractare de creditis rebus. Cui cum ille reſponderet, ſe ad manum non habere que pecierat, multum iratus iter repetere diſpoſuerat quo uenerat. Debitor uero mitigare cupiens amicum ſuum, rogabat eum, quatenus ſecum prius quam recederet dignaretur cibum ſumere. Cuius cum precibus negare nequiret, reſedit et ſecuri depoſita, quam manu tenuerat, cibos cum ſocio ſumere cepit. Sed preuenit diuina pietas hunc appetitum, neſcio namque cita qua occaſione percuſſus manum quam extenderat replicare non poterat ad os ſuum. Tunc terribiliter clamare cepit ſuamque ſecurim, quam antea depoſuerat, uxori ſui ſocii commendauit 'cuſtodi (inquiens) meam ſecurim! nam ego morior'. Et tunc uerbotenus corpus exanime continuo corruit, ac ſi nullatenus ſpiritus antea ibi fuiſſet. Aſſunt ſigna mortis: crines candent, frons obduratur, errant oculi, naſus acuitur, palleſcunt labia, mentum cadit et uniuerſa corporis membra rigeſcunt. Currit familia, tollitur cibus, clamant armigeri, plorat hoſpes, corpus extenditur, pulſantur ſigna, accurrit clerus, miratur populus, et tota ciuitas cita boni militis morte turbatur. Quid moramur? ab hora quaſi decima in quarta feria uſque ad ipſam eandem horam in ſabbato mortuus iacebat, nullo in eo remanente uite ſigno, excepto quod calor modicus in ſiniſtro pectore ab hijs qui diligenter corpus palpare ſtuduerant ſenciebatur. Ea propter ipſum corpus ſubterrare noluerant, eo quod calorem in ipſa eius partiuncula ſenciebant Poſt hec autem preſente clero et populo, qui ad ſepeliendum illum conuenerant, reſumpſit ſpiritum et debili flatu quaſi per unius hore ſpacium reſpirare cepit. Mirantur cuncti etiam ſapientes dicentes 'nonne hic eſt ſpiritus uadens et rediens?' Tunc ille debili intuitu circumſpiciens interrogantibus ſe, ſi uellet communicare, innuit afferri corpus domini; et cum illud ſumeret et uinum biberet, cepit cum graciarum actione laudare dominum dicens 'O deus, major est miſericordia tua quam iniquitas mea, licet ſit magna nimis. Quantas oſtendiſti mihi tribul[ationes] mul[tas] et ma[las] et conuer[ſus] ui[uificaſti] me et de ab[yſſis] ter[re] iterum red[uxiſti] m[e]'. Et cum hec dixiſſet, omnia ſub teſtamento que habuit diſperſit et dedit pauperibus, ipſe uero de ſigno ſalutifere crucis ſignari precepit et priſtinam uitam in antea ſe relicturum omnimodis uouit. Cuncta autem que uiderat aut paſſus fuerat nobis poſtmodo dicens narrauit.

## 2. De exitu anime.

Cum (inquit) anima mea corpus exueret et illud mortuum eſſe cognoſceret, reatus ſui conſcia cepit formidare et quid faceret neſciebat. Et quidem timebat, ſed quit timeret ignorabat. Volebat ad corpus ſuum redire, ſed non poterat intrare; foras etiam ire nolebat, ſed ubique pertimeſcebatur; et ſic miſerrima uolutabatur anima reatus ſui conſcia in nullo confidens niſi in dei miſericordia. Dumque diucius et flens ita ageret et plorans tremebunda quid deberet facere neſciret, tandem uidit ad ſe uenientem tantam inmundorum ſpirituum multitudinem, ut non ſolum totam domum et atrium replerent, in quibus morabatur mortuus, uerum etiam per omnes uicos et plateas nullus ciuitatis locus appareret qui non eſſet eis plenus. Vt autem ipſam miſeram

Hybernienſium legatus, cuius uita et doctrina tota occidentalis fulſit eccleſia, Roma ueniens in Claraualle defunctus eſt, cuius uitam miraculis plenam Bernardus Clareuallenſis abbas ſatis luculento ſermone tranſſcribit. De quo mencionem loco ſuo domino concedente facturi ſumus. Neemias etiam Claunenſis epiſcopus, uir ſapiencia et genere et ſanctitate preclarus, ſanctus ac uenerabilis ſenex annorum XCV, in propria cathedra eodem anno de laborioſo huius uite certamine ad gaudia migrauit perpetue uite. De cuius uita et miraculis, quia uos nouimus ſanctorum exempla deſideraſſe ad ueſtram edificacionem, aliqua dicemus. Sed quia noſtri non eſt propoſiti modo tragedias texere, ad commiſſum nobis opuſculum deo adiuuante properemus.

## Visio cuiusdam militis Hyberniensis ad edificacionem conscripta.

### I. De situ Hybernie primo.

Hybernia igitur inſula eſt in ultimo occidentali oceano poſita, ab auſtro in boream porrecta, ſtagnis et fluminibus precipita, nemoribus inſita, frugibus fertiliſſima, lacte et melle omnibusque piſcacionis et uenacionis generibus opulenta, vinearum expers ſed uini diues, ſerpentium ranarum bufonum et omnium animalium uenena ferencium ita inſcia ut eius lignum aut corrigia aut cornu aut puluis omnia uincere noſcantur uenena; religioſis uiris et feminis ſatis preclara, armis autem crudelis et inclita; cominus ad meridiem habens Angliam, ad ortum uero Scotos et Brittones, quos quidam Galenſes uocant, ad boream autem Cattos et Orcados, ex aduerſo uero ad auſtrum Hyſpanos. Hec ergo inſula ciuitates habet precipuas XXXIIII, quarum preſules duobus ſubſunt metropolitanis: Ardiuacha namque ſeptentrionalium Hybernienſium eſt metropolis, auſtralium autem precellentiſſima eſt Caſelenſis, de qua ortus eſt quidam uir nomine Tnugdalus nobilis, cuius crudelitas uel pocius in eo quod egit deo pietas noſtro huic opuſculo materiam dedit. Erat namque uir prefatus etate iuuenis, genere nobilis, uultu hylaris, aſpectu decorus, curialiter nutritus, veſte conpoſitus, mente magnanimus, militari arte non mediocriter inſtructus, habilis affabilis atque iocundus, verum (quod ego non ſine dolore poſſum dicere) quanto confidebat in corporis forma et fortitudine, tanto minus curabat de anime ſue eterna ſalute. Nam (ut ipſe modo ſepius cum lacrimis ſolet confiteri) grauabat eum, ſi quis ei de ſalute anime aliquid licet breuiter uellet dicere. Eccleſiam dei neglexerat; pauperes autem Chriſti etiam uidere nolebat, ſcurris munus et ioculatoribus pro vana gloria diſtribuerat quitquit habebat. Sed cum tot malis diuine miſericordie finem dare placuit, eum quando uoluit prouocauit. Nam ut plurimi Corcagenſis ciuitatis teſtantur incole, qui ei tunc aderant, per trium dierum et noctium ſpacium iacuit mortuus: per quod ſpacium amare didicit quitquit antea ſuauiter deliquit, nam uita eius preſens teſtatur quecunque paciebatur. Paſſus eſt enim plurima incredibilia et intollerabilia tormentorum genera, quorum ordinem ſiue nomina, ſicut ab ipſius qui uiderat et patiebatur ore didicimus, nos ad augmentacionem ueſtre deuocionis uobis ſcribere non grauabit. Hic igitur cum multos haberet amicos ſodales, inter eos unum habuerat, qui ei conmutacionis debito trium equorum debitor erat. Hic

cum statatum prestolaretur terminum, suum transacto tempore conuenit amicum. Qui cum bene receptus perendinaret tribus noctibus, cepit tractare de creditis rebus. Cui cum ille responderet, se ad manum non habere que pecierat, multum iratus iter repetere disposuerat quo uenerat. Debitor uero mitigare cupiens amicum suum, rogabat eum, quatenus secum prius quam recederet dignaretur cibum sumere. Cuius cum precibus negare nequiret, resedit et securi deposita, quam manu tenuerat, cibos cum socio sumere cepit. Sed preuenit diuina pietas hunc appetitum, nescio namque cita qua occasione percussus manum quam extenderat replicare non poterat ad os suum. Tunc terribiliter clamare cepit suamque securim, quam antea deposuerat, uxori sui socii commendauit 'custodi (inquiens) meam securim! nam ego morior'. Et tunc uerbotenus corpus exanime continuo corruit, ac si nullatenus spiritus antea ibi fuisset. Assunt signa mortis: crines candent, frons obduratur, errant oculi, nasus acuitur, pallescunt labia, mentum cadit et uniuersa corporis membra rigescunt. Currit familia, tollitur cibus, clamant armigeri, plorat hospes, corpus extenditur, pulsantur signa, accurrit clerus, miratur populus, et tota ciuitas cita boni militis morte turbatur. Quid moramur? ab hora quasi decima in quarta feria usque ad ipsam eandem horam in sabbato mortuus iacebat, nullo in eo remanente uite signo, excepto quod calor modicus in sinistro pectore ab hijs qui diligenter corpus palpare studuerant senciebatur. Ea propter ipsum corpus subterrare noluerant, eo quod calorem in ipsa eius partiuncula senciebant. Post hec autem presente clero et populo, qui ad sepeliendum illum conuenerant, resumpsit spiritum et debili flatu quasi per unius hore spacium respirare cepit. Mirantur cuncti etiam sapientes dicentes 'nonne hic est spiritus uadens et rediens?' Tunc ille debili intuitu circumspiciens interrogantibus se, si uellet communicare, innuit afferri corpus domini; et cum illud sumeret et uinum biberet, cepit cum graciarum actione laudare dominum dicens 'O deus, major est misericordia tua quam iniquitas mea, licet sit magna nimis. Quantas ostendisti mihi tribul[ationes] mul[tas] et ma[las] et conuer[sus] ui[uificasti] me et de ab[yssis] ter[re] iterum red[uxisti] m[e]'. Et cum hec dixisset, omnia sub testamento que habuit dispersit et dedit pauperibus, ipse uero de signo salutifere crucis signari precepit et pristinam uitam in antea se relicturum omnimodis uouit. Cuncta autem que uiderat aut passus fuerat nobis postmodo dicens narrauit.

## 2. De exitu anime.

Cum (inquit) anima mea corpus exueret et illud mortuum esse cognosceret, reatus sui conscia cepit formidare et quid faceret nesciebat. Et quidem timebat, sed quit timeret ignorabat. Volebat ad corpus suum redire, sed non poterat intrare; foras etiam ire uolebat, sed ubique pertimescebatur; et sic miserrima uolutabatur anima reatus sui conscia in nullo confidens nisi in dei misericordia. Dumque diucius et flens ita ageret et plorans tremebunda quid deberet facere nesciret, tandem uidit ad se uenientem tantam inmundorum spirituum multitudinem, ut non solum totam domum et atrium replerent, in quibus morabatur mortuus, uerum etiam per omnes uicos et plateas nullus ciuitatis locus appareret qui non esset eis plenus. Vt autem ipsam miseram

animam circumuenerunt, non eam consolari sed nimium contristare studuerunt dicentes Cantemus (inquiunt) huic misere debitum mortis canticum, quia filia est mortis et cibus ignis inextinguibilis, amica tenebrarum, inimica lucis.' Et conversi omnes ad eam stridebant dentibus in eam et ungulis propriis teterrimas pre furore nimio laniabant genas dicentes 'Ecce, misera, populus, quem elegisti, cum quibus arsura subibis ima Acherontis. Nutrix scandali, amatrix discordie, quare non superbis? Quare non adulteras? Quare non fornicaris? Ubi est uanitas tua et uana leticia? Vbi est risus tuus immoderatus? Vbi est fortitudo tua, qua plurimum insultabas? Quare non innuis oculis ut solebas? non teris pede, non digito loqueris, non prauo corde machinaris malum? Hijs et similibus perterrita nil aliud nisi plangere potuit misera, expectans mortem a cunctis qui aderant sine mora minatam. Sed qui non uult mortem peccatoris, cui soli conpetit medicinam parare post mortem, omnipotens pius et misericors dominus, occulto suo iudicio cuncta bene disponens, etiam istam, prout uoluit, obtemperauit miseriam.

## 3. De adventu angeli in occursum anime.

Misit namque angelum suum in occursum eius, quem respiciens a longe uenientem quasi stellam lucidissimam, infatigabiles fecit in eum intuitus, sperans per eum sibi aliquod consilium dandum. Qui cum ei appropinquasset, proprio uocans nomine salutauit evm dicens 'Aue, (inquit) Tnugdale, quid agis?' Videns autem ille speciosum iuuenem, (erat enim speciosus forma pre filijs hominum) audiensque semet ipsum proprio nomine nominatum, pre timore simul et pre gaudio cum lacrimis talem prorupit in uocem: 'Heu (inquit), pater domine, dolores inferi circumdederunt me, preoccupauerunt me laquei mortis'. Cui angelus 'Modo (inquit) uocas me patrem et dominum, quem semper et ubique tecum habebas et numquam me tali nomine dignum iudicabas.' Qvi respondit 'Domine, ubi umquam te uidi? aut ubi uocem tuam dulcissimam umquam audiui?' Respondens angelus dixit ei 'Ego te semper sequebar a natiuitate tua quocunque ibas, et numquam meis consilijs obtemperare uolebas', et extendens in unum inmundorum spirituum, qui pre ceteris maledicis ei magis insultabat, 'ecce (inquit) ille, cuius consilijs acquiescens, meam omnino uoluntatem neglexeras. Sed quia deus misericordiam semper prefert iudicio, tibi etiam non deerit indebita eius misericordia. Tantum esto secura et leta, quia pacieris pauca de multis, que patereris, nisi tibi subuenisset misericordia redemptoris! Me igitur sequere et quecunque tibi monstrauero memoriter tene! quia iterum ad corpus tuum debes redire.' Tunc illa anima ultra modum perterrita accessit ad eum propius, relicto corpore super quod steterat prius. Demones autem hoc audientes et mala que antea illi anime minabantur, se inferre non posse conspicientes, posuerunt in celum os suum dicentes 'O quam iniustus et crudelis est deus, qui quos vvlt mortificat et quos uult uiuificat, non, sicut promisit, unicuique secundum opus suum et meritum reddit. Liberat animas non liberandas et dampnat non dampnandas.' Et hijs dictis in semetipsos insurrexerunt et quibuscunque poterant uterutrum se plagis dampnauerunt, et nimio fetore relicto cum ingenti tristicia et indignacione recesserunt. Angelus uero precedens dixit ad animam 'Sequere me!' Illa autem

reſpondit 'Heu, domine, ſi preceſſeris, illi me rapient retro et ſempiternis ignibus tradent. Cui angelus 'Ne timeas (inquit) eos! plures enim nobiſcum ſunt quam cum illis. Si deus nobiſcum, quis contra nos? Cadent quidem a latere tuo mille et X millia a dextris t[uis], ad te autem non ap[propinquabit]. Verumptamen o[culis] t[uis] conſi[derabis] et ret[ribucionem] p[eccatorum] uidebis. Et tu quidem pacieris ſicut predixi pauca de multis que merueras.' Et hijs dictis profecti ſunt.

## 4. De prima pena homicidarum.

Dum longius ſimul pergerent et nullum preter ſplendorem angeli lumen haberent, tandem uenerunt ad uallem ualde terribilem ac tenebroſam et mortis caligine coopertam. Erat enim ualde profunda et carbonibus ardentibus plena, cooperculum habens ferreum, quod ſpiſſitudinem habere uidebatur VI cubitorum, quod nimio ardentes ſuperabat candore carbones. Cuius fetor omnes, quas huc uſque paſſa eſt illa anima, ſuperabat tribulaciones. Deſcendebat enim ſuper illam laminam miſerrimarum multitudo animarum et illic cremabantur, donec ad modum cremij in ſartagine concremati omnino liqueſcerent et, quod eſt grauius, ita colabantur quaſi per illam predictam laminam, ſicut colari ſolet cera per pannum, et iterum in carbonibus ignis ardencius renouabantur ad tormentum. Hijs uiſis anima illa multum perterrita dixit ad angelum 'Heu, domine mi, rogo ſi placet, ut indices mihi, quid umquam mali iſte egerint anime, ut talibus tormentis iudicarentur digne.' Ad quam angelus 'Iſte ſunt (ait) homicide parricide fratricide. Iſta eſt talium (inquit) prima pena perpetrancium, perpetrantibus conſenciencium; poſt iſtam ad maiores, quas uidebis, ducuntur penas.' 'Et ego (inquit) numquid patiar iſta?' Et ait angelus ad eam 'Mereris quidem, ſed modo non pacieris; licet enim non ſis parricida aut matricida aut fratricida, es tamen homicida; ſed nunc tibi non reddetur. De cetero autem caueto ne, cum ad corpus reuertaris, amplius iſta aut maiora merearis.' Et adiunxit 'Proficiſcamur! grandis enim nobis reſtat uia.'

## 5. De pena homicidarum et insidiatorum.

Igitur profecti uenerunt ad montem mire magnitudinis, magni horroris et uaſte ſolitudinis, qui motis tranſeuntibus anguſtum ualde prebebat iter. Erat namque ex vna parte illius itineris ignis putridus ſulphureus atque tenebroſus, ex altera autem parte nix glacialis et cum grandine uentus horribilis. Erat uero mons hinc et inde preparatus ad puniendum animas, tortoribus plenus, ita ut nullus tranſitus tranſire uolentibus appareret intus. Ibi quoque prefati tortores furcas habebant ferreas ignitas et acutiſſimos tridentes preparatos, quibus iugulabant animas tranſire uolentes et trahebant ad penas. Cumque miſere longius inuolute penas luerent in parte ſulphuris, predictis inſtrumentis iugulate proiciebantur in grandinem, et uerſa uice de medio grandinis proiciebantur in flammam ignis. Hijs uiſis admodum illa dum metuebat, dixit ad angelum, qui eam precedebat 'Rogo, domine, dum paratas inſidias ad interniciem meam aperte uideo, iter iſtud accipere quomodo ualebo?' Reſpondit ei 'Noli timere, ſed me ſequere aut precede!' Et tunc preceſſit angelus et illa ſequebatur ſicut prius.

## 6. De valle et pena superborum.

Sed illis pre timore pedetemptim pergentibus venerunt ad uallem ualde profundam putridam nimis ac tenebroſam. Cuius profunditatem ipſa quidem anima uidere non poterat, ſonitum autem ſulphurei fluminis et ululatus multitudinis in imis patientis audire ualebat. Fumus uero de ſulphure et de cauernis ſurſum inſurgebat fetidus, qui omnes ſuperabat penas, quas viderat prius. Tabula autem longiſſima ab uno monte in alium in modum pontis ſe ſuper uallem extenderat, qui mille paſſus in longitudine, in latitudine uero unius pedis menſuram habebat. Quem pontem niſi electus nemo poterat tranſire. De quo uidit multos cadere, neminem autem niſi preſbyterum unum illeſum pertranſire. Erat autem ille preſbyter peregrinus, portans palmam et indutus ſclauino, et ante omnes intrepidus pertranſibat primus, quia ſemita iuſtorum absque offendiculo erit. Tunc anima uidens artam ſemitam et ſubtus ſempiternum cognoſcens interitum dixit ad angelum 'Heu mihi miſere! quis me liberabit (inquit) de itinere mortis huius?' Ille autem hylari uultu eam reſpiciens reſpondit dicens 'Ne timeas! ab iſta quidem liberaberis, ſed post hanc aliam pacieris.' Et precedens tenuit eam et ultra pontem duxit illeſam. Et poſt tranſitum parui itineris quaſi ſecura dixit ad angelum anima leta 'Obſecro, domine, ſi placet, indica mihi, quarum animarum ſunt iſta que uidimus modo tormenta?' Et angelus ad eam 'Iſta uallis ualde terribilis locus eſt ſuperborum, mons uero putridus atque ſulphureus pena eſt inſidiatorum.' Et adiunxit 'Eamus, donec ad alia hijs inconparabilia perueniamus!'

## 7. De auaris et pena eorum.

Precedente autem angelo profecti ſunt per longam ac tortuoſam uiam et ualde difficilem. Cumque multum laborarent et iter tenebroſum agerent, non longe ab eis uidit beſtiam magnitudine incredibilem et horrore intolerabilem. Que beſtia pre ſue enormitate magnitudinis precellebat omnes quos antea uiderat montes. Oculi uero eius ignitis aſſimilabantur collibus. Os uero eius ualde patens erat et apertum, quod, ut ſibi uidebatur, capere poterat nouem milia hominum armatorum. Habebat autem duos paraſitos et uerſis capitibus ualde incompoſitos: vnus uero illorum habebat caput ſurſum ad dentes ſuperiores prefate beſtie et pedes deorſum ad inferiores, alius uero uerſa uice caput deorſum et pedes ad dentes ſuperiores habebat ſurſum. Erant ſic quaſi columpne in ore eius, qui idem os in ſimilitudine portarum trium diuidebant. Flamma etiam inextinguibilis ex ore eius eructuabat, que in tres partes per illas portas diuidi ſolebat, et contra ipſam flammam anime cogebantur intrare dampnande. Fetor quoque intolerabilis ex ore eius exiebat. Sed et planctus et ululatus multitudinis de uentre eius per idem os audiebatur: nec mirum, cum intus eſſent milia hominum uirorum ac mulierum dira tormenta luencium. Ante cuius os erat etiam inmundorum ſpirituum multitudo, qui animas intrare cogebant; ſed antequam intrarent, multis et diuerſis eas uerberibus et plagis affligebant. Cumque diu uidiſſet anima tam horribile et metuendum ſpectaculum, deficiens pre nimio timore ſimul et terrore ſpiritus flebili uoce dixit ad angelum 'Heu heu, domine mi, non te latent iſta que uideo, et quare eis adpro-

pinquas?' Angelus autem reſpondens dixit 'Iter noſtrum aliter explere non poſſumus, niſi huic tormento proprius aſſiſtamus. Non enim hoc tormentum niſi electi deuitare ualebunt. Iſta enim beſtia uocatur Acherons, que deuorat omnes auaros. De hac beſtia loquitur ſcriptura: abſorbebit fluuium et non mirabitur, et habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius. Hij uero qui inter dentes uiri et in ore eius apparent contrapoſiti, gygantes ſunt, et ſuis temporibus in ſecta ipſorum tam fideles ſicut ipſi non ſunt inuenti: quorum nomina tu bene noſti, uocantur enim Ferguſius et Conallus.' Ad quem anima 'Heu, domine, hoc me mouet, quod cum tu eos in ſua ſecta fideles aſſeris, cur eos dominus talibus dignos iudicet plagis.' Ad quam angelus 'Iſta omnia que adhuc uidiſti penarum genera, licet ſint magna, antequam reuertaris, uidere poteris multo maiora.' Et cum hoc dixiſſet accedens propius antecedebat eam et ſtetit ante beſtiam; anima uero licet nolens ſequebatur eum. Cumque ſimul ſtarent ante beſtiam, angelus diſparuit et miſera ſola permanſit. Demones autem cum eam cernerent deſolatam, conueniunt miſeram ut canes rabidi, ſecum pertrahunt in uentrem beſtie flagellatam. Qualia autem uel quanta ibi tormenta paſſa fuerit, etiamſi ipſa taceret, in colore uultus et conuerſione morum facillime cognoſcere poterit, ſi quis ſapiens notare uoluerit. Et quod breuitati ſtudere debemus, non cuncta que audiuimus ſcribere ualemus. Et tamen, ne ipſam materiam negligere uideamur, pauca de multis ad edificacionem legencium uolumus recitare. Paſſa eſt enim ibidem canum urſorum leonum ſerpentium ſed et innumerabilium aliorum incognitorum monſtrvoſorum animalium ferocitatem, demonum ictus, ardorem ignis, aſperitatem frigoris, fetorem ſulphuris, caliginem oculorum, fluxus lacrimarum ardencium, copiam tribulacionum et ſtridorem dencium. Hijs et hijs ſimilibus ibi conpertis, quid aliud miſera niſi ſemet ipſam de preteritis accuſare et proprias genas pre nimia triſticia et deſperacione potuit lacerare. Cumque miſera reatum ſuum cognoſceret et eternum pro ſuis meritis ſe pati ſupplicium pertimeſceret, neſcia quo ordine exierat, ſe extra beſtiam eſſe ſenciebat. Et ecce cum longius iaceret debilis, aperiens oculos prope ſe uidit illum qui eam ante procedebat ſpiritum lucis. Tunc illa gaudens, licet afflicta multum, dixit ad angelum 'O mea ſpes unica, o ſolacium mihi indebitum a domino conceſſum, o lumen oculorum meorum et baculus mee miſerie et calamitatis, ut quid me miſeram deſerere uoluiſti? Quid autem ego miſera retribuam domino pro o[mnibus] que re[tribuit] mihi? Et ſi numquam feciſſet mihi aliquid boni niſi quod te miſit in occurſum mihi, quas ei digne retribuerem gracias!' Reſpondit ei angelus 'Sicut tu in primo dixeras, ſic eſſe ſcias: maior eſt diuina miſericordia quam iniquitas tua. Ipſe quidem reddit unicuique ſecundum opus ſuum et meritum, ſed tamen unumquemque de ſuo fine uocabit. Quapropter, ut ante dixi, oportet te precauere, ne cum fueris tue poteſtatis, iterum iſta merearis.' Et hoc dicto ſubiunxit 'Tranſeamus ad ea que ante nos ſunt ſupplicia!'

## 8. De pena furum et raptorum.

Illa autem ſurgens quaſi languida, debiles temptans firmare greſſus, magnopere illum ſequi uolebat, ſed nullo modo poterat: erat enim nimis afflicta. Tangens autem eam angelus digito

confortauit et ualido curſu precedens ad explendum iter, quod antea dixerat, illam ſuaſit. Euntes uero longius uiderunt ſtagnum amplum ualde et tempeſtuoſum, cuius fluctus aſtantes non permittebant cernere celum. Inerat etiam ibi multitudo beſtiarum terribilium, que mugientes nil aliud poſcebant niſi ut animas deuorarent. Per latum uero eius pons multum anguſtus erat et longus, cuius longitudo quaſi per duo miliaria tendebatur: talis enim latitudo erat ſtagni: latitudo uero ipſius pontis quaſi unius palme menſura. Longior namque et anguſtior erat quam pons ille, de quo ſuperius diximus. Erat etiam iſta tabula inſerta clauis ferreis acutiſſimis, qui omnium tranſeuncium pedes ſolebant penetrare, ut nullus pes, ſi eum ſemel tangeret, illeſus poſſet euadere. Omnes quoque beſtie conueniebant ad pontem, ut inde cibos ſumerent, illas ſcilicet animas, que tranſire non poſſent. Erant autem ipſe beſtie taute magnitudinis, ut magis turribus aſſimilari rectiſſime ualerent. Ignis etiam de ore ipſarum exiebat, ita ut ſtagnum bullire a cernentibus putaretur. Videbat quoque in ipſo ponte vnam animam ualde plorantem et ſemetipſam multis criminibus accuſantem. Erat enim cum magno pondere manipulorum frumenti onuſta, et hunc pontem tranſire cogebatur; sed licet plantas clauis ferreis perforatas nimis doluerat, cadere tamen in lacum ignitum, ubi patencia beſtiarum ora uidebat, magis timebat. Anima uero uidens inmane periculum dixit ad angelum 'Heu, domine, ſi placet, uellem ſcire, cur cogitur iſta anima ſub tali pondere pertranſire, quarum et ſpecialiter iſta pena ſit animarum.' At ille reſpondens dixit ad animam 'Iſta pena eſt ſpecialiter tibi condigna et tuis conſimilibus furtum perpetrantibus, licet multum fuerit uel modicum. Sed non eodem modo paciuntur qui in minimis et qui delinquunt in magnis, niſi forte illud modicum fuerit ſacrilegium.' Tunc anima 'Quid (ait) uocas ſacrilegium?' Reſpondit angelus 'Qui ſiue ſacratum ſiue de ſacrato aliquid furatur, hic ſacrilegij reus iudicatur; maxime uero qui delinquunt in tegmine religionis, niſi per pecuniam ſe emundauerint, rei iudicantur religionis culpe.' Adiunxitque 'Feſtinemus! quia iſtum pontem tranſire debemus.' At illa 'Tu quidem (ait) per diuinam potenciam tranſire poteris, me uero tecum, ut reor, conducere nequaquam ualebis.' 'Non ego (inquit angelus) tecum tranſibo, ſed tu ipſa pertranſibis. Non uacuus tranſire poteris, nam uaccam indomitam tecum oportet te conducere ymaginarie et illeſam ultra pontem mihi reddere.' Tunc anima plorans amare fleuit et ad angelum dixit 'Ve mihi! quare creauit me deus ut talia paterer? Et quomodo ego miſera uaccam potero tranſducere, cum ego ipſa in tali periculo, niſi diuina ſubuenerit miſericordia, non poſſim omnino ſtare?' Tunc angelus 'Reduc (inquit) ad memoriam quod, cum in corpore fueras, uaccam conpatris tui furata eras.' At illa 'Nonne (inquit), domine, ipſam uaccam, de qua eſt ſermo, proprio reddidi poſſeſſori?' Cui angelus 'Reddidiſti, ſed tunc, quando abſcondere non potuiſti; et ideo non plenum pacieris ſupplicium, quia minus eſt malum uelle quam perficere, licet utrumque ſit malum ante deum.' Hijs dictis cum reſpexiſſet angelus, anime oſtendit indomite uacce ymaginem. 'Ecce (inquit) uacca, quam debes ducere ultra.' Anima uero, cum ſe uidiſſet deuitare non poſſe debitam penam, plorans reatum, tenuit uaccam et ſecum quibuscumque poterat minis inſtigare conabatur ad pontem. Beſtie uero mugientes ueniebant et cibum ſuum, quem uidebant in ponte poſitum, expectabant

Anima autem cum cepiſſet iter, uacca nolebat cum ea ire. Quid amplius moramur? Cum ſtabat anima, cadebat uacca, et cum uacca ſtabat, cadebat anima, et ſic uerſa uice modo ſtabant modo cadebant, uſque dum ad medium pontem ueniebant. Cumque illuc perueniſſent, uiderunt illum sibi obuium qui manipulos portabat. Illum dico non de illis, quibus dicitur 'uenientes autem ue[nient] cum exulta[cione] p[ortantes] m[anipulos] ſ[uos], ſed de illis quibus dicitur alibi et ſcriptura minatur 've uobis qui nunc ridetis, quia plorabitis et flebitis'. Sic enim plorantes et flentes obuiauerunt sibi non ſicut miſericordia et ue[ritas], nec ſicut iuſticia et pax, que oſculate ſunt ſe. Illa enim anima, que cum manipulis ueniebat, rogabat illam, ne ſibi pontem preoccuparet. Et e contrario iſta quibuſcumque precibus poterat alteram rogabat, ne sibi iter, quod cum tanto labore experte conpleuerat, prohiberet. Nec tamen illa nec iſta non dico reuerti ſed nec reſpicere retro poterant, et ſic dolentes ſtabant ſupra pontem, ut ita dixerim quaſi et ſtantes pontem plantarum ſanguine crventabant. Cumque diucius ſtarent et criminum reatum ſibi plangerent, neſcientes quomodo, ſed unaqueque alteram pertranſiſſe cognoſcebat. Anima autem iſta dum pertranſijt angelum ſuum, quem retro reliquerat, uidit, eamque blandis alloquitur uerbis 'Bene (inquit) uenias! de uacca ulterius ne cures! quia non ei amplius debes.' Sed cum illa oſtenderet ei pedes et conqueſta eſſet ſe amplius non poſſe pergere, reſpondit: 'Meminiſſe debes, quam ueloces erant pedes tui ad effundendum ſanguinem; et ideo contricio et infelicitas merito eſſent in uijs tuis, niſi tibi ſubueniſſet miſericordia redemptoris.' Et cum hoc diceret, tangens eam ſanauit et ſic preceſſit. Anima uero cum diceret 'quo imus modo?' reſpondit angelus 'Quidam tortorum teterrimus noſtrum expectat adventum, cui nomen eſt Phriſtinus, cuius hoſpicium nullomodo preterire poſſumus. Quod hoſpicium, licet ſemper hoſpitibus fuerit plenum, hoſpes tamen hoſpites adhuc deſiderat ad ſupplicium.'

## 9. De pena glutonum et fornicancium.

Cum autem irent per tenebroſa loca atque arida, apparuit eis domus aperta. Domus autem ipſa, quam uiderant, erat maxima, ut arduus mons prenimia magnitudine, rotunda, eratque quaſi furnus, ubi panes coqui ſolent. Flamma quoque inde exiebat, que per mille paſſus quaſcumque animas inuenit conburebat. Sed illa anima, que experte ſimile tormentum experimento didicerat, accedere propius nullomodo ualebat. 'Quid ego faciam miſera! Ecce appropinquamus ad portas mortis, et quis me liberabit?' Reſpondens angelus dixit 'Ab iſta quidem exteriori flamma liberaberis, ipſam uero domum, unde procedit, intrabis.' Et cum propius accederent, uiderunt carnifices cum ſecuribus et cultris et ſarmentis et biſacutis cum dolabris et terebris et falcibus acutiſſimis, cum wangijs et foſſorijs et cum ceteris inſtrumentis, quibus animas excoriare uel decollare uel findere uel truncare poterant, ante portas in medio flammarum ſtantes, et sub manibus illorum multitudinem animarum iſta omnia que prediximus ſuſtinencium. Cumque uidiſſet anima quod hec eſſent omnibus plenius que ante uiderat multo maiora, dixit ad angelum 'Obſecro, mi domine, ſi placeat, ab hoc me ſolo libera ſupplicio! et ceteris, qui poſt hec occurerint, ſupplicijs me tradi concedo.' Tunc angelus 'Iſtud quidem (ait) ſupplicium maius eſt omnibus que

ante uidiſti adhuc, tamen vnum uidebis omnia excellens genera tormentorum, qualia uidere uel cogitare potuiſti. Intra (inquit) iſtud ſupplicium! quia canes rapidi tuum intus expectant adventum.' Anima uero tota tremens et pre anguſtia deficiens, quibuscumque precibus poterat, rogauit, ut hanc penam euaderet: nec tamen quod uoluit impetrauit. Demones autem, uidentes animam sibi conceſſam, circumuenerunt eam et magnis conuicijs exprobrantes cum ſupradictis inſtrumentis in fruſta diſſipauerunt et diſſipatam ignibus tradiderunt. Quid dicam de hijs que in hac domo sunt Phriſtini? Nam luctus et triſticia, dolor et gemitus et ſtridor dencium, lentus ignis extrinſecus, intrinſecus uero uaſtum condebatur incendium, auiditas inexplebilis ſemper inerat cibi, nec tamen ſaciari poterat nimietas gule. Doloribus uero uerendorum locorum cruciabantur quam maximis. Sed uerenda ipſa putredine corrupta ſcaturire uidebantur uermibus, et in ipſa uerenda uirorum ac mulierum non ſolum ſecularium, uerum (quod eſt grauius), quod non ſine graui dolore poſſum dicere, ſub religionis habitu conuerſancium quam dire intrabant beſtie, ita ut ex omni parte cruciatibus feſſis mille ſufficere uires ad toleranciam poſſent. Nullus ſexus, nullus habitus inmunis extitit ab hijs plagis, et quod dicere verebar ipſa me cogit ueritas, quod monaſticus ipſe habitus uirorum et feminarum hijs intererat cruciatibus et hij qui ſanctioris uidebantur profeſſionis, digni iudicabantur pene maioris. Hijs et hijs ſimilibus illa incredibilibus anima cruciatibus longe toleratis, in ſemetipſam reuerſa, ream ſe eſſe ac dignam talibus confitebatur tormentis. Sed quando diuino numini placuit, neſciens quo ordine, ſicut diximus, extra tormenta ſe eſſe ſentit; ſedebat tamen in tenebris et umbra mortis. Cumque non diu ibi ſederet, uidit lumen, ſpiritum uidelicet uite, qui eam ante conduxerat. Illa non amaritudine ſimul et triſticia multum repleta dixit ad eum 'Vt quid, domine, ego miſera talia et tanta paſſa ſum tormenta! Vt quid eſt quod nobis dixerunt ſapientes: miſericordia domini plena eſt terra! Vbi eſt miſericordia et pietas?' Reſpondit angelus et dixit ei 'Heu (inquit), o filia, quam multos decepit iſta ſentencia minus intelligentes! Deus enim, licet ſit miſericors, eſt tamen iuſtus. Iuſticia reddit unicuique ſecundum ſua merita, miſericordia plurima ulcionibus digna condonat delicta. Et tu quidem tuis exigentibus meritis iuſte pateris iſta ſupplicia; ſed tunc ages gracias, quando uidebis que per miſericordiam condonauerit tibi tormenta. Iterum ſi deus cuncta dimitteret, cur homo iuſtus eſſet? Et ſi ſupplicia non pertimeſceret, quare peccator parceretur? Et quid opus eſſet ut confeſſi peniterent, ſi deum non timerent? Igitur deus cuncta bene diſponens, ſicut iuſticiam temperauit miſericordia, et miſericordiam temperauit iuſticia, ut neuter illarum ſit ſine altera. Nam ſi in corpore peccatoribus penitenciam non agentibus miſericorditer parcit, hi tamen pro ſuis exceſſibus puniuntur; temporale commodum iuſte in corpore degentibus tollitur, bona eis ſine fine manencia cum angelis, dum exeunt corpora, miſericorditer largiuntur. In hoc quoque miſericordia eius ſuperat iuſticiam, quia nullum bonum opus ab ipſo erit irremunerabile, multa uero mala opera condonat ipſe. Nemo enim liber eſt a peccato, nec infans vnius noctis; multi uero liberantur a pena, ut etiam non tangat eos umbra mortis.' Sed anima illa reſumptis uiribus ad ſermonem conſolacionis dixit ad angelum 'Domine, ſi placet, quia de iuſtis eſt ſermo, cum non merentur intrare portas mortis, cur

deducuntur ad inferos?' Respondens angelus dixit 'Si hoc te mouet, cur iusti, qui penas non paciuntur, ad uidendas illas deducuntur, ideo, ut uisis tormentis, a quibus liberantur per diuinam graciam, ardencius in laudem sui conditoris ferueant et amorem. Sic e contrario anime peccatorum, que digne eternis supplicijs iudicantur, prius ad sanctorum gloriam uidendam permittuntur, ut uisis premijs, que sponte deseruerant, cum ad penas uenerint, magis doleant et ipsam gloriam, quam ante potuissent acquirere, in memoriam reuocent ad augmentacionem pene. Nullum enim est tam graue supplicium sicut sequestratum esse a consorcio diuine maiestatis et sanctorum angelorum. Et propterea ille presbyter, quem primum pontem secure transire uidebas, ductus est ad supplicia, ut uisis penis ardencius arderet in eius amorem qui eum uocauit ad gloriam; fidelis namque seruus et prudens inuentus est, et ideo accipiet coronam uite, quam repromisit deus diligentibus se.' Et post hec uerba dixit 'Quoniam nondum omnia mala uidimus, proderit tibi ut ad ea uidenda que nondum uidimus properemus.' Tunc anima 'Si (inquit) postmodum redire debemus ad gloriam, rogo ut quantocius me precedas ad penam.'

## 10. De pena sub habitu et ordine religionis fornicancium uel quacunque condicione se coinquinancium.

Precedente igitur angelo uiderunt bestiam omnibus quas ante uiderant bestijs ualde dissimilem, duos pedes et duas alas habentem: longissimum quoque collum et rostrum ferreum, ungulas etiam ferreas habebat: per cuius os flamma eructuabat inextinguibilis. Que bestia sedebat super stagnum glacie condensum. Deuorabat autem bestia quascumque invenire poterat animas; et dum in uentre eius per supplicia redigerentur ad nichilum, pariebat eas in stagnum glacie coagulatum, ibique renouabantur iterum ad tormentum. Inpregnabantur uero omnes anime tam uirorum quam mulierum, que descendebant in stagnum, et ita grauide prestolabantur tempus, quod eis conueniebat ad partum. Intus uero mordebantur in uisceribus more uiperino a prole concepta, sicque uegebantur misere in vnda fetida maris mortui glacie concreta. Cumque tempus esset ut parerent, clamantes replebant inferos ululatibus et sic serpentes pariebant. Pariebant (dico) non solum femine sed et uiri, non tamen per ipsa menbra que natura constituit tali officio conueniencia, verum per brachia simul et per pectora, exiliebantque erumpentes per cuncta menbra. Habebant uero ipse que pariebantur bestie capita ardencia ferrea et rostra acutissima, quibus ipsa unde exibant dilaniabant corpora. In caudis autem suis eedem bestie multos habebant aculeos, qui quasi hami retro retorti ipsa, e quibus exibant, pungebant corpora. Bestie autem volentes exire, cum caudas suas secum non possent trahere, in ipsa unde exibant corpora rostra ardencia ferrea retorquere non cessabant, donec ea usque ad neruos et ossa arida consumebant; et sic simul conclamantes stridor glacierum inundancium et ululatus animarum sustinencium et mugitus bestiarum exeuncium perueniebat ad celum, ita ut ipsi demones, si in eis esset ulla scintilla pietatis, merito mouerentur ad misericordiam conpassionis. Erant enim in omnibus menbris et digitis diuersarum bestiarum capita, que ipsa menbra mordebant usque ad neruos et ossa, que sunt interiores affectiones et

uires anime. Habebant quoque linguas uiuas in modum aſpidum, que totum palatum et arterias conſumebant omnes uſque ad pulmones. Verenda quoque ipſa uirorum ac mulierum erant in ſimilitudine ſerpencium, qui inferiores partes ventris lacerare et ipſa uiſcera inde ſtudebant abſtrahere. Tunc dixit anima 'Dic mihi, queſo, quid mali iſte operate ſunt anime, quibus paratur pena inconparabilis omnibus, ut reor, quas uideram prius?' At angelus 'Superius (inquit) tibi dixi, quod hij qui ſanctioris ſunt propoſiti, ſi errauerint, durioribus iudicantur ſupplicijs, ſicut e contrario maiorem conſecuntur gloriam, ſi non merentur iſta per culpam. Iſta enim eſt (inquit) pena monachorum canonicorum ſanctimonialium ceterorumque eccleſiaſticorum ordinum, qui ſiue per tonſuram ſiue per habitum deo mentiri noſcuntur, et ideo eorum menbra diuerſis penis conſumuntur, qui non ea caſtigabant a prohibitis. Exacuebant enim linguas ſuas ſicut ſerpentes et ideo eas paciuntur ardentes. Verenda etiam, que non caſtigantur a coitu prohibite luxurie, uel in ipſa mittuntur uel ipſa efficiuntur feroces beſtie ad cumulum pene.' Et adiunxit 'De hijs ſatis diximus. Licet namque iſta pena ſpecialiter illorum eſſe debeat, qui ſe dicunt religioſos eſſe et non ſunt; tamen qui inmoderata luxuria ſe maculant iſta ſuſtinebunt. Et ideo hoc tu non poteris euadere, quia te ipſum, dum in corpore fueras, inmoderate non uerebaris coinquinare.' Et poſt hec dicta uenientes cum impetu demones rapuerunt animam et dederunt eam beſtie deuorandam. Deuorata autem anima qualia intra paſſa fuerit uel in ſtagno fetido, quia ante diximus, repetere non debemus. Cum ergo poſt predicta tormenta eſſet in partu uiperum, affuit ei ſpiritus pietatis eamque blande alloquens conſolabatur 'Veni (inquiens), amica mea kariſſima, non paciens amplius iſta!' Et tangens eam curauit et ad reliquum iter ſe ſequi precepit. Sicque longe profecti anima neſciebat quo ibant: preter fulgorem enim ſpiritus uite nullum, ut prediximus, lumen habebant. Pergebant quidem per loca terribilia et multum precedentibus duriora. Erat quippe uia ualde anguſta et quaſi de cacumine altiſſimi montis in precipicium ſemper deſcendens; et quanto plus deſcendebat, tanto minus anima reditum ad uitam ſperabat.

## 11. De pena eorum qui cumulant pecuniam super pecuniam.

Dixit igitur 'Rogo, cum tot mala ante uiderimus, quod non poſſint peiora non dico uideri ſed nec cogitari, quo iterum iſta uia ab eis tam longum ducit in precipicium?' Et reſpondit ei angelus dicens 'Iſta uia ducit ad mortem.' Et anima 'Cum (inquit) iſta uia ſit anguſtiſſima et duriſſima et neminem in ea uiderimus preter nos, quid eſt quod euangelium dicit: lata eſt uia et ſpacioſa que ducit ad mortem et multi intrant per eam?' 'Non de iſta (ait angelus) loquebantur tunc euangelia, ſed de illicita et inpudica et ſeculari, nam per ipſam uenitur ad iſtam.' Ergo euntes longius et ultra modum laborantes uenerunt in uallem, ibique uidentes fabricas fabrorum multas, in quibus maximus audiebatur luctus. Dixit anima 'Audis, domine mi, ista que ego audio?' Reſpondit 'Audio et ſcio.' Et anima 'Quod nomen habet hoc ſupplicium?' 'Iſte tortor (ait angelus) uocatur Uulcanus, per cuius ingenium corruerunt plurimi et corruentes ab ipſo ſunt cruciati.' Et anima 'Numquid (ait), domine mi, ego eius debeo pati ſupplicium?' At ille 'Debes' inquit.

Et hoc uerbo dicto precedebat eam, illa autem plorans ſequebatur eum. Appropinquantes autem occurrerunt eis tortores cum ignitis forcipibus et angelo nichil dicente ceperunt animam, que ſequebatur, et tenentes proiecerunt in caminum ignis ardentem, et ſic follibus ſufflantes ſicut ſolet examinari ferrum, ita examinabatur, donec quaſi ad nichilum redigeretur illa multitudo animarum que ibi urebatur. Cumque ita liquarentur, ut nil aliud niſi aqua appareret, iugulabantur tridentibus ferreis et ſuper incudem poſiti percuciebantur, donec uicene ſiue tricene uel centene anime in unam maſſam redigerentur, que ſimul in eodem genere peccati peccauerant. Vnde euangelium 'alligate faſciculos ad conburendum'. Et tamen, quod eſt grauius, non ita perierunt; deſiderabant enim mortem, nec poterant inuenire. Loquebantur uero tortores ad inuicem 'Nonne ſufficit?' Et alij in alia domo reſponderunt 'Proicite nobis, ut uideamus, ſi ſufficit'. Et proicientes alij capiebant eas in forcipibus ferreis antequam terram tangerent, et ſicut primi ita et ipſi eas ignibus tradebant, ſicque miſere modo huc modo illuc proiciebantur anime, et ubique paciebantur et conburebantur, donec omnes affectiones et potencie anime digna punirentur ulcione, pelles ſimul et carnes et nerui et oſſa in fauillam redigerentur et flammam ignis. Anima autem illa cum diu in hijs uerſaretur ſupplicijs, affuit ei ſuus aduocatus, et more ſolito eam apprehendens de medio fauille cepit dicere 'Quomodo uales? Numquid fuerunt tam dulces carnis illecebre, ut pro eis tot et talia tormenta debeas ſuſtinere?' Illa autem ei reſpondere [non poterat], quia uires ad loquendum poſt tale non habebat ſupplicium. Angelus autem domini cum eam uidiſſet nimis afflictam, blande alloquens conſolatur eam dicens 'Confortare! quia dominus eſt deducens ad inferos et reducens. Tu ergo eſto fortis! quia licet ſint mala, que uſque huc paſſa es, maiora ſunt ea a quibus liberaberis, ſi tamen uoluntas fuerit noſtri redemptoris. Ipſe enim non deſiderat mortem peccatoris, ſed ut conuertatur et uiuat.' Et poſt hoc dixit 'Omnes quos uidiſti ſuperius iudicium dei expectant; ſed iſti, qui adhuc ſunt in inferioribus, jam iudicati ſunt: adhuc namque non perueniſti ad inferos inferiores.' Et apprehendens eam more ſolito confortauit et reliquum iter arripere iuſſit.

## 12. Descensus ad inferos.

Cumque ſimul pergerent et ad inuicem ſermocinarentur, ecce ſubitus horror et frigus intolerabile fetorque antea inexpertus et tenebre prioribus inconparabiles: tribulacio et anguſtia animam inuaſerunt per iter, ita ut omnia fundamenta orbis terre uiderentur ſibi contremiſcere et angelo, qui eam precedebat, conpelleretur dicere 'Heu, mi domine, quid eſt quod ſolito minus ſtare poſſum? in tantum enim turbata ſum, quod ſpiritum habere ad loquendum non poſſum.' Cumque ſtando preſtolaretur angeli reſponſum — non enim poterat ſe mouere pre nimia formidine —, ab oculis eius angelus cito diſparuit, et eum uidere amplius non potuit. Videns igitur miſera longe ſe inferiorem eſſe, ab omnibus quos antea uiderant peccatoribus et de ſuo lumine ac ſolacio deſolatam, quid aliud niſi omnino deſperare de dei miſericordia potuit? Non enim, ut ait Salomon, ſapiencia aut ſciencia erant aput inferos, quo illa properabat, et ideo non habebat conſilium, quoniam deerat ſibi dei auxilium. Facta itaque mora, dum eſſet ſola in tantis periculis, audiuit clamores

et ululatus mire multitudinis, tonitruum quoque ita horribile, ut nec paruitas noſtra poſſit capere nec lingua eius, ut ipſe fatebatur, ualeat enarrare.

## 13. De inferno inferiori.

Circumſpiciens igitur, ſi quomodo uidere poſſet, unde aduenerant, uidit foſſam quadrangulam quaſi ciſternam, qui puteus putridam flamme et fumi emittit columpnam, que columpna quaſi uſque ad celos extendebatur. Erat etiam in ipſa flamma maxima multitudo animarum ſimul et demonum, que aſcendebant more fauillarum cum flamma aſcendencium et ad nichilum redacto fumo cum demonibus iterum cadebant in fornacem uſque ad profundum. Viſo autem hoc magno ſpectaculo, uolebat ſe anima retro retrahere, ſed non ualebat pedem a terra leuare. Sed dum hoc ſepius pauore perſuadente temptaret facere et ſe quod uoluerat non poſſe perficere cerneret, nimio furore repleta in ſemetipſam exarſit et genas ſuas vngulis lacerans clamauit 'Ve mihi! quid ego non morior! et quare ego miſerrima ſanctis ſcripturis credere nolui! Que me demencia decepit!' Audientes hoc demones, qui cum flamma aſcenderant, ilico eam circumuenerunt cum inſtrvmentis, quibus miſerorum animas ad tormenta rapuerunt, et circumdantes circumdederunt eam ſicut apes et exarſerunt ſicut ignis in ſpinis, et vna uox erat omnium dicencium 'O miſera anima, penis et crvciatibus digna, vnde huc ueniſti? Ignara penarum nondum experta es penas: adhuc uidebis dignum tuis operibus tormentum, de quo exire non poteris nec in eo perire ualebis, ſed ſemper in cruciatu uiuens ardebis. Nullam conſolacionem, nullum refugium, nullum uidere aut inuenire poteris lumen, nullum auxilium, nullam miſericordiam amplius ſperare ualebis. Appropinquaſti enim ad portas mortis et inferioribus infernis ſine mora preſentaberis: qui huc te reduxit, ipſe te decepit. Liberet te, ſi poteſt, de noſtris manibus! non enim eum uidebis amplius. Dole, miſera! dole plora et ulula! lugebis enim cum lugentibus, flebis cum flentibus et in eternum cum ardentibus ardebis. Non eſt qui te uelit aut poſſit amplius de manibus noſtris liberare. Et ad inuicem loquebantur dicentes 'Quid eſt quod amplius moramur? Trahamus iſtam et oſtendamus illi crudelitatem noſtram! Demus eam Lucifero deuorandam!' Et ſic arma ſua uibrantes minabantur sibi mortem perpetuam. Ipſi autem ſpiritus erant nigri ſicut carbones, oculi uero eorum ut lampades ardentes, dentes eorum niue candidiores, et caudas habebant ut ſcorpiones, vngulas quoque ferreas ualde acutas, et ut uultures habebant alas. Cumque ſe iactarent quod ſine mora illam ſecum raperent et flenti canticum mortis canerent, affuit ſpiritus lucis et fugatis tenebrarum ſpiritibus ſolitis eam conſolabatur uerbis dicens 'Gaude et letare, filia lucis! quia miſericordiam et non iudicium conſequeris. Penas quidem uidebis, ſed eas amplius non pacieris.'

## 14. De ipso principe tenebrarum.

'Veni ergo! (inquit) et oſtendam tibi peſſimum humani generis aduerſarium.' Et precedens venit ad portas inferni et dixit ei 'Veni et uide! Hoc tamen ſcito, quod lumen hijs, qui hic deputantur, minime lucet. Tu tamen illos uidere ualebis, ſed non ualebunt ipſi te uidere.

Appropinquans autem anima uidit profundum inferni: et quanta uel qualia et quam inaudita ibi uiderit tormenta, ſi centum capita et in vno quoque centum linguas haberet, recitare nullo modo poſſet. Pauca tamen, que ipſe nobis retulit, ut reor, pretermittere utile non erit. Nullus tamen nos in hoc capiat, quod ſpiritualis hoſtis, qui humanis uerbis proprie deſcribi non poteſt, per corporales ſimilitudines deſcribitur. Vidit ergo ipſum principem tenebrarum, inimicum generis hvmani dyabolum, qui magnitudine precellebat uniuerſas quas antea uiderat beſtias. Cuius quantitati corporis nec ipſa que uidit anima conparabat aliud, nec nos, quod ab ea non didicimus, preſumere audemus; ſed talem narracionem, qualem audiuimus, pretermittere non debemus. Erat namque beſtia prefata nigerrima ſicut coruus, habens formam humani corporis a pedibus uſque ad caput, excepto quod plurimas illa habuerat manus et caudam: habet quoque illud horribile monſtrum non minus mille manibus, id eſt mille modos inſidiandi, et vna queque manus in longitudine quaſi centum cubitos, in groſſitudine decem. Eſt autem unaquaque manus inſita uicenis digitis, qui digiti habent in longitudine centenas palmas et in groſſitudine denas, ungulas lanceis multum longiores et ipſas ferreas, et in pedibus totidem ungulas, roſtrum habet autem nimis longum et groſſum, caudam autem aſperrimam et longam et ad nocendum animabus aculeis acutiſſimis preparatam. Iacet itaque illud horribile ſpectaculum pronum ſuper cratem ferream, ſuppoſitis ardentibus prunis, ab innumerabili multitudine demonum follibus ſufflatis. Circumdat autem ipſum tanta animarum et demonum multitudo, quanta nulli credibile eſſet quod mundus tot animas pareret a principio. Ligatus uero prefatus humani generis hoſtis per ſingula menbra et per omnes iuncturas menbrorum cathenis ferreis atque ereis ignitis et ualde groſſis. Cum autem ſic uerſatur in carbonibus et undique conburitur, nimia ira exarſus uertit ſe de latere uno in aliud latus, et omnes manus ſuas in illam animarum multitudinem extendit, eisque repletis omnibus, conſtringit et ut ſitiens racemos exprimit: ita, ut nulla ſit anima que uel non diuiſa (ut ita dixerim) uel capite pedibus manibusue priuata euadere poſſit illeſa, precauet. Tunc etiam quaſi ſuſpirans ſufflat et ſpargit omnes animas iu diuerſas Gehenne partes, et ſtatim eructuat puteus, de quo antea diximus, fetidam flammam; et cum retrahit anhelitum ſuum dira beſtia, reuocat ad ſe omnes animas quas ante ſparſerat et cum fumo ac ſulfure in os eius cadentes deuorat; ſed et quicumque manus eius fugiunt, cum cauda percutit; et ſic miſera beſtia percuciens ſemper percucietur et tormenta animabus inferens **in tormentis cruciatur. Videns hoc anima** angelo domini dixit 'Rogo, domine mi, illud monſtrum quod nomen habet?' Reſpondens angelus dixit 'Illa quam uides beſtia uocatur Lucifer, et ipſa eſt principium creaturarum dei, qui uerſabatur in delicijs paradyſi; qui ſi abſolutus fuerit, celum i. e. celeſtes et ſpirituales homines, ſimul et terram i. e. terrenos et mundanos, et uſque ad inferos cuncta perturbabit. Hec autem multitudo partim angeli sunt tenebrarum et miniſtri Sathane, partim de filiis Ade qui non merentur miſericordiam. Hij namque ſunt qui non ſperauerunt miſericordiam a deo nec ipſum deum crediderunt, et ideo cum iſto principe tenebrarum pati talia ſine fine meruerunt, quia cum deo glorie, qui eis bona ſine fine retribueret, uerbis et operibus adherere noluerunt. Iſti ſunt (inquit) qui iam vocati sunt, et multos

adhuc alios expectant, qui promittunt quidem uerbis benefacere, operibus autem negant. Talia (inquit) ſuſtinebunt qui uel Chriſtum omnino negant uel negancium opera faciunt, ſicut ſunt adulteri, homicide, fures, latrones, ſuperbientes, penitenciam dignam non agentes. Paciuntur quidem primitus ea que antea uidebas minora, et tunc ducuntur ad iſta, de quibus nullus, qui ſemel intrauerit, exire amplius poterit. Hic quoque prelati et potentes ſeculi, qui deſiderant precem non ut proſint ſed ut preſint, paciuntur ſine fine, qui potenciam ſuam, uel ad regendos uel ad corrigendos ſubditos datam, non eſtimant a deo sibi conceſſam, et ideo non, ſicut debent, in sibi conmiſſos potenciam exercent. Qua propter ſcriptura clamat: 'Potentes potenter tormenta pacientur.' Tunc anima 'Cum (inquit) dicas, potenciam a deo illis eſſe datam, cur paciuntur penam illam?' Et angelus ait 'Potencia, que a deo eſt, non eſt mala, ſed malum eſt male ea uti.' Et anima 'Quare omnipotens deus potenciam non ſemper bonis tribuit, ut ſubditos ſuos emendarent et preeſſent ipſis ut deberent?' Reſpondit angelus 'Aliquando bonis poteſtas tollitur ſubditorum culpis exigentibus, quia mali non merentur bonos habere rectores, aliquando propter ipſos bonos, ut ſecurius ſuarum preuideant ſaluti animarum.' Et anima 'Vellem (inquit) ſcire, quam ob cauſam illud monſtrum princeps uocatur tenebrarum, cum neminem poſſit defendere nec ſemet ipſum ualeat liberare?' Et angelus 'Princeps (ait) non propter potenciam ipſe uocatur, ſed propter primatum, quem tenet in tenebris. Licet namque plurimas tenebras ante iſtas uideris penas, pro nichilo cuncte reputantur, cum huic inmani ſupplicio conparantur.' Et anima 'Sic ego (inquit) indubitanter iudico, nam uidere tantummodo lacum iſtum magis me conturbat et fetorem eius ſuſtinere plus me grauat quam pati omnia que ante paciebar: vnde rogo ut hinc me ſubtrahas, ſi poteſt fieri, cito et amplius me cruciari non permittas. Video namque in hoc tormento cognatos multos et ſodales et notos, quos mecum in hoc ſeculo gaudebam habere ſocios, quorum hic conſorcium multum abhorreſco. Scio etiam pro certo, niſi mihi diuina ſuccurrat miſericordia, meritis meis exigentibus non minus ego quam ipſi paciar iſta.' Et angelus 'Veni (inquit), o felix anima, conuertere in requiem tuam! quia dominus benefecit tibi. Non enim pacieris nec amplius, niſi iterum promerueris iſta, uidebis. Hvc uſque enim inimicorum dei carcerem, amodo autem amicorum eius uidebis gloriam.'

## 15. De moderata pena non ualde malorum.

Conuerſa igitur anima ſequebatur angelum ſe precedentem, et cum non longe pergerent, fetor euanuit et deſtructis tenebris lux apparuit, fugatoque timore cita ſecuritas redijt, et depoſita preterita triſticia anima repleta eſt gaudio et leticia, ita ut ſemet ipſam tam cito mutatam miraretur dicens 'Domine mi, indica mihi, obſecro, quid eſt quod tam cito mutatam me ſencio? Eram namque ceca, et modo uideo, triſtis, et leta ſum; paſſa per totam illam uiam intolerabilem fetorem, nunc uero nullum malum ſencio odorem; timida eram et ualde formidoloſa, nunc autem gaudens ſum et ſecura.' Reſpondens angelus dixit ei 'Benedicta ſis! non mireris! hec eſt namque mutacio dextere excelſi; per aliam enim uiam debemus redire in regionem noſtram. Tu ergo

benedic deum et ſequere me!' Euntes autem uiderunt murum nimis altum; et infra murum ex illa parte, qua ipſi uenerant, erat plurima multitudo uirorum ac mulierum uentum ac pluuiam ſuſtinentium. Et illi erant ualde triſtes, famem ac ſitim ſuſtinentes; lumen tamen habebant et fetorem non ſenciebant. Interrogans autem anima 'Qui ſunt (inquit) iſti qui in tali morantur requie?' Angelus reſpondit 'Iſti sunt mali ſed non ualde: honeſte quidem ſe ſeruare ſtuduerunt, ſed bona temporalia pauperibus non sunt largiti ſicut debuerunt, et ideo per aliquot annos merentur pati iſtam pluuiam et ducuntur ad requiem bonam.

## 16. De campo leticie et fonte uite et requie non ualde bonorum.

Et euntes paululum uenerunt ad portam, que ultro aperta eſt eis. Quam cum intraſſent, uiderunt campum pulchrum, odoriferum, floribus inſitum, lucidum et ſatis amenum, in quo erat multitudo animarum, quam dinumerare nemo poterat. Et erat multitudo uirorum ac mulierum exultancium. Et nox ibi non fuit nec ſol illic occidit, et eſt ibi fons aque uiue. Anima uero poſt talem tanquam magnam amaritudinem, quam ante ſuſtinuerat, in ſpecioſi campi nimium delectata dulcedine, talem prorupit in uocem cum magna deuocione 'Sit nomen domini benedictum ex hoc nunc et u[niuerſa] in ſ[ecula], qui de portis inferi liberauit me ſecundum multitudinem miſeracionum ſuarum et introduxit me in partem ſortis ſanctorum. Nunc enim cognoſco, ueriſſima eſſe uerba ſcripture ſacre: quod oculus non uidit nec auris audiuit nec in cor ho[minis] aſ[cendit], que prep[arauit] deus dil[igentibus] ſe.' Et adiunxit 'Quarum, rogo, animarum eſt requies iſta, et fons iſte quod nomen habet?' Reſpondens angelus dixit ei 'Hic habitant boni non ualde, qui de inferni cruciatibus erepti nondum merentur ſanctorum conſorcio coniungi. Fons quoque quem uides uocatur uiuens: ſi quis guſtauerit ex hac aqua, uiuet in eternum nec ſiciet ultra.'

## 17. De Donato et Chonchober regibus.

Et precedentes paululum uiderunt sibi notos laicos, inter quos erant Chonchober et Donatus reges. Quos cum ille uidiſſet, ualde admirans ait 'Quid eſt, domine, quod uides? Iſti duo uiri erant in uita ſua multum crudeles et inter ſe inuicem inimici: et quo merito huc uenerunt et quomodo amici facti ſunt?' Reſpondens angelus dixit 'Hanc ante mortem penituerunt inimiciciam, ideo non eis imputatur ad culpam. Ille enim rex Chonchober diu languit et uotum uouit, quod, ſi uixiſſet, monachus fieret; alter autem per multos annos uinculis religatus omnia quecumque habuit dedit pauperibus, et ideo iuſticia eius manet in ſeculum ſeculi. Scilicet tu narrabis uiuentibus omnia hec.'

## 18. De rege Comarcho.

Cum autem modicum precederent, uiderunt domum mirabiliter ornatam, cuius parietes et omnes ſtructure ex auro erant et argento et ex omnibus lapidum precioſorum generibus; ſed feneſtre ibj non erant nec hoſtium, tamen omnes qui intrare uolebant intrabant. Erat uero domus intus tam ſplendida ac ſi non dico unus ſol ſed quaſi ibi ſoles multi ſplenderent. Verum ipſa domus

erat ampla nimis atque rotunda, multis columpnis fulta, et cum auro et lapidibus precioſis totum corpus eius ueſtibulum erat ſtratum. Cum autem illa anima in talibus delectaretur edificijs, circumſpiciens uidit unum ſedile aureum cum gemmis et ſerico et omnibus ornamentis ornatum, et uidit dominum regem Chomarchum in ipſo throno ſedere talibus ueſtimentis ueſtitum, qualibet nec ipſe nec aliquis regum terre umquam ueſtiri potuit. Dum ipſa igitur admirans aliquantulum ſtaret, uenerunt plurimi cum muneribus in illam domum ad regem, et illi ſinguli offerebant cum gaudio munera ſua. Et cum diucius ante dominum ſuum regem ſtarent (erat enim dominus eius, dum uterque uiueret), uenerunt multi ſacerdotes et leuite, veſtiti ſollempniter ſicut ad miſſam cum ſericis caſulis et ceteris ornatibus ualde bonis, et ornabatur undique regia domus mirabili ornamento. Ponebant etiam ciphos et calices aureos et argenteos et eburneas pixides ſupra paxillos et tabulas, et ſic domus ornabatur, ita ut, ſi maior gloria in regno dei non eſſet, iſta ſufficere poſſet. Omnes ergo illi qui miniſtrabant venientes ante regem, coram eo genua flectebant dicentes 'Labores manuum t[uarum] qui mand[ucabis] beatus es, et bene tibi erit.' Tunc anima dixit ad angelum 'Miror, mi domine, vnde huic domino meo tot miniſtri, inter quos nec unum de ſuis, dum eſſet in corpore, poſſum cognoſcere.' 'Non ſunt iſti (ait angelus) de eius familia, quam habebat dum eſſet in corpore. Nonne audis (ait), quomodo iſti clamant dicentes labores ma[nuum] t[uarum] qui m[anducabis] beatus es et bene tibi erit? Iſti enim quos tu uides omnes sunt pauperes Chriſti et peregrini, quibus ipſe rex largiebatur bona temporalia dum illic eſſet in corpore, et ideo per manus ipſorum retribuitur ei merces eterna hic ſine fine.' 'Vellem (ait anima) ſcire, ſi iſte dominus meus rex paſſus eſt umquam tormenta, poſtquam relicto corpore uenit ad requiem.' 'Paſſus eſt (ait angelus) et cottidie patitur et adhuc pacietur.' Et adiunxit 'Preſtolemur paululum et uidebimus eius tormentum'. Et cum non diu expectarent, obſcurata eſt domus, et omnes habitatores eius ilico contriſtati sunt, et contriſtatus eſt rex, flensque ſurrexit et exiuit. Cumque illa anima ſequeretur eum, vidit hanc multitudinem, quam intus antea uiderat, expanſis in celum manibus deuotiſſime deprecantem deum atque dicentem 'Domine deus, ſicut uis et ſcis, miſerere ſerui tui!' Et reſpiciens uidit ipſum regem in igne uſque ad umbilicum et ab umbilico ſurſum cilicio indutum. Ait autem anima ad angelum 'Quam diu iſta anima hoc pacietur?' Et angelus 'Cottidie per trium horarum patitur ſpacium et per ſpacia XX et unius requieſcit horarum.' 'Domine, (inquit anima) quare hijs et non alijs dignus iudicatur ſupplicijs?' Angelus reſpondit 'Ideo ignem patitur uſque ad umbilicum, quia legittimi coniugij maculauit ſacramentum; et ab umbilico ſurſum patitur cilicium, quia iuſſit interficere comitem iuxta ſanctum Patricium et preuaricatus eſt iuſiurandum. Exceptis hijs duobus cuncta eius crimina sunt remiſſa quo ad culpam et penam.' Et poſt hec ait 'Aſcendamus!' Et cum proceſſiſſent paululum, uiderunt murum nimis altum et ualde preclarum.

## 19. De gloria coniugalium.

Erat enim murus argenteus, ſplendidus multum atque decorus. Et anime quidem nulla apparebat in eo porta; neſciens tamen quomodo eam diuina introduxit potencia, et circumſpiciens

uidit choros ſanctorum cantancium deo et dicencium 'Gloria tibi, deus pater! gloria tibi, fili! gloria tibi, ſpiritus ſancte! Hi uero qui cantabant uiri et femine erant ueſtiti candidis veſtimentis et precioſiſſimis, et erant pulcherrimi ſine macula et ruga, iocundi et hylares, gaudentes ſemper et exultantes, in laude ſancte ſempiterneque trinitatis perſeuerantes. Candor autem ueſtimentorum ſicut nix recens erat percuſſa ſolis radio; voces uero diuiſe conſonantes tamquam muſicum melos reddebant ſonos. Claritas iocunditas amenitas hylaritas pulchritudo honeſtas ſanitas eternitas vnanimitas omnibus erat equalis et caritas. De odore quid dicam illius campi, in quo erant iſti? Superabat enim omnium odoramentorum et aromatum ſpecies ille dulciſſimus et delectabilis odor. Nox ibi non erat, triſticia aberat, dilectione cuncti feruebant. Tunc ait anima 'Placeat, domine mi, obſecro, ut in hac requie maneamus!' Reſpondit angelus 'Bene ſit tibi! licet iſta uideantur magna, tamen maiora ſanctorum uidebis premia.' Et anima 'Domine (ait), quarum iſta premia sunt animarum?' Et angelus dixit 'Coniugalium uidelicet illorum et illarum, qui maritalem thorum illiciti adulterij macula non coinquinauerunt et legittimj coniugij fidem ſeruauerunt, ſed et familias ſuas bene regebant et bona ſua temporalia pauperibus et peregrinis et Chriſti eccleſijs diſtribuebant, quibus iudex iuſtus in extremo iudicio eſt dicturus: venite, benedicti p[atris] m[ei], per[cipite r[egnum], quod u[obis] p[aratum] eſt ab o[rigine] m[undi]! eſuriuj enim et d[ediſtis] mihi m[anducare], ſitiuj et d[ediſtis] mihi b[ibere], hoſpes fui et ſ[uſcepiſtis] me. Qui expectantes illam beatam ſpem et aduentum glorie magni dei, conſolantur in tali requie. Magnum eſt enim legittimi coniugij ſacramentum: qui bene illud ſeruant in corpore, in hac requie gaudebunt ſine fine.' Et adiunxit 'Oportet nos ad huc aſcendere et illa que ſuperius sunt uidere.' Et anima 'Domine, ſi inueni (inquit) graciam in oculis tuis, fac me in iſta requie permanere! Nolo enim alcius, ſi tua fuerit uoluntas, aſcendere, ſed cum iſtis mihi eſt kariſſimum perſeuerare. Non quero nec curo nec melius habere deſidero.' Et angelus 'Licet non promerearis, tamen hijs meliora uidebis.' Et poſt hec dicta profecti non multum laborauerunt, uidebatur namque eis nullus labor, et quoſcumque in omnibus turmis pertranſibant, inclinatis capitibus et letis uultibus cum inmani gaudio anime occurrebant et eam proprio nomine ſalutabant, et deum, qui eam liberauit, glorificabant dicentes 'Laus tibi, domine, rex eterne glorie, qui non uis mortem peccatoris, ſed ut conuertatur et uiuat, qui ſecundum miſericordiam tuam ab inferni cruciatibus dignatus es animam eripere et ſanctorum tuorum conſortio ſociare!'

## 12. De gloria martyrum et continenciam.

Cum igitur ſic plurimos pertranſiſſent, apparuit alius murus tam altus ut primus de auro puriſſimo et preclariſſimo, ita ut magis delectaretur quecumque illum uidiſſet anima uiſo nitore metalli, quam in uniuerſa quam ante viderat gloria. Sed cum ſimili modo pertranſiſſent illum ut primum, apparuerunt illis plurima ſedilia de auro et gemmis et vniuerſis precioſorum lapidum generibus conſtructa et precioſiſſimis ſericis cooperta, in quibus ſedebant ſeniores uiri et femine veſtiti ſericis et ſtolis candidis et thiaris et vniuerſis ornatibus, qualia nec ante uiderat nec cogitare anima

poterat. Erat uero vnuſcuiuſque facies ex eis ſplendida ſicut ſol ſplendet in meridie, et capillos habebant auro ſimillimos, et coronas habebant in capitibus aureas et gemmis ornatas. Sed et lectualia coram eis erant poſita non inferioris metalli, quibus erant libri ſuperpoſiti cum aureis litteris inſcripti, et cantabant domino alleluia cum nouo cantico et tam dulci melodia, ut cunctorum obliuiſceretur preteritorum anima que ſemel audiret uoces eorum. Stetit igitur anima in illo loco, vbi prius concentus uiderat et ſedilia, mirabiliter delectata. Tunc ait angelus ad eam 'Iſti sunt qui pro teſtamento dei ſua corpora tra[diderunt] et in ſ[anguine] a[gni] l[auerunt] ſto[las] ſ[uas]. Iſti sunt (inquit) continentes, qui per aliquod tempus carnis debitum perſoluentes, reliquum uite in ſeruicio dei ſiue martyrium pro Chriſto pacientes ſiue ſemet ipſos cum uicijs et concupiſcencijs crucifigentes ſobrie pie iuſte uiuentes duxerunt, et ideo coronas triumphales habere meruerunt. Iſti ſunt (ait) uiri ſancti facti amici dei.

## 21. De gloria monachorum et sanctimonialium.

Uerum cum anima curioſius circumaſpiceret, uidit quaſi caſtra et papiliones plurimos, purpura et biſſo, auro quoque et argento et ſerico mira uarietate confectos, in quibus cordas et organa, tympana quoque et cytharas cum organiſtris et cimbalis canentes ceteraque omnia muſicorum genera ſuauiſſimis ſonis audierat concinentes, et ait ad angelum 'Iſta tentoria et papiliones quarum sunt animarum?' Et angelus 'Iſta sunt (ait) monachorum et ſanctimonialium requies, qui promiſſam obedienciam hijs, qui preſunt sibi, hylares inpendunt, atque deuoti, qui magis ſubeſſe gaudent quam preeſſe, qui uoluntatem propriam relinquentes aliene uoluntati obtemperant, ut ueraciter dicere ualeant: Poſuiſti ho[min]es ſuper cap[ita] n[oſtra], tranſiuimus per ig[nem] et a[quam], et edu[xiſti] nos in reſ[rigerium]; qui celeſtia, dum sunt in corpore, ſapiunt, et prohibent linguas ſuas non ſolum a malis, verum etiam taciturnitatis amore refrenant a bonis, qui domino dicere ualent: Obmutuimus et humiliati ſumus et a bonis ſiluimus et auditu auris tibi obediuimus. Hij tales habent thronos et papiliones, in quibus ſine ceſſacione redemptori et horum bonorum largitori cantant laudes.' Et ait anima 'Si tibi placet, uolo propius accedere et illos qui intus ſunt uidere.' Et ait angelus 'Placet quidem ut uideas et audias illos, ſed non intrabis ad eos. Iſti namque utuntur preſencia ſancte Trinitatis; et ſi quis ſemel ad eos intrauerit, omnium immemor preteritorum ulterius non diſiungitur a conſorcio ipſorum, niſi forte uirgo fuit et coniungi mereatur choris angelorum.' Et accedentes propius uiderunt intus utriusque ſexus monachos, qui angelis aſſimilabantur, quorum uoces ſuauitate atque dulcedine omnia muſicorum inſtrumenta ſuperare uidebantur. Et licet omnes anime, quas in alijs locis ante uiderat, fulgore choruſcarent nimio, ſplendor tamen iſtarum et odor delectabilis et ſonus ſuauiſſimus uniuerſam gloriam ante uiſam ſuperabant. Omnia inſtrumenta nemine laborante ſonos reddebant. Sed hanc omnem dulcedinem ſpirituum uoces ſuperabant, quibus nullus erat labor in extenſione vocum, non uidebantur nec labia mouere, nec manus ad inſtrumenta muſica leuare curabant, et tamen ad libitum cuiusque melos reſonabat. Firmamentum autem, quod ſuper capita eorum erat, multum ſplendebat; de quo

pendebant cathene auri puriſſimi, uirgultis intermixte argenteis pulcherrima uarietate contextis, de quibus ciphi et fiale, cimbala et tintinnabula, lilia et ſpherule pendebant auree. Inter quas multitudo maxima angelorum uerſabatur uolancium et alas aureas habencium, qui leui uolatu inter cathenas volantes ſuauiſſimum et dulciſſimum audientibus reddebant ſonum.

## 22. De defensoribus et structoribus ecclesiarum et gloria eorum.

Cum enim anima hijs delectata uiſionibus uellet ibidem ſtare, dixit ei angelus 'Reſpice!' Et reſpiciens vidit vnam arborem maximam et latiſſimam frondibus et floribus viridiſſimam omniumque frugum generibus fertiliſſimam. In cuius frondibus aues multe diuerſorum colorum et diuerſarum uocum cantantes et organizantes morabantur, ſub cuius etiam ramis lilia et roſe multe nimis et cunctarum herbarum ſpecierum odoriferarum genera oriebantur. Erant autem ſub eadem arbore multi viri et femine in cellulis aureis et eburneis, et ipſi ſine ceſſacione laudabant et benedicebant deum omnipotentem pro uniuerſis beneficijs ac donis, et habebat unuſquiſque illorum auream coronam in capite ſuo mirabiliter ornatam, et ſceptrum aureum in manu ſua quiſque tenebat, et erant veſtiti talibus veſtimentis qualibus antea monachi fuerant induti. Anima autem conuerſa ad angelum ait 'Que eſt iſta arbor? et ille que ſub ea sunt anime quid boni agebant, dum erant in corpore?' Et angelus ait 'Hec arbor typus eſt ſancte eccleſie, et iſti qui ſub ea ſunt viri et femine conſtructores et defenſores erant ſanctarum eccleſiarum, et pro beneficijs, que ſanctis eccleſijs largiebantur, ipſarum fraternitatem conſecuti ſunt, et per illorum conmonicionem relinquentes ſecularem habitum continebant a carnalibus deſiderijs que militant aduerſus animam, sobrie et iuſte et pie uixerunt in hoc ſeculo expectantes beatam ſpem, que, ut uides, eos non confundit.' Et addidit 'Proficiſcamur!'

## 23. De gloria virginum et IX ordinibus angelorum.

Cumque profecti fuiſſent, uiderunt murum pulchritudine altitudine et ſplendore ceteris diſſimilem. Erat namque ex omnium lapidum precioſorum bene conſtructus uarijs coloribus metallis interpoſitis, ita ut habere uideretur aurum pro cemento. Lapides autem eius erant chriſtallus criſolitus berillus iaſpis iacinctus ſmaragdus ſaphirus onichinus topazius ſardius criſopraſſus ametiſtus tartacus atque granatus. Hijs et hijs ſimilibus murus ſplendens lapidibus multum in ſui amorem uidencium mentes prouocabat. Aſcendentes ergo murum uiderunt procul dubio quod oculus non vidit nec au[ris] a[udiuit] nec in cor hominis aſ[cendit], que p[reparauit] deus dil[igentibus] ſe. Viderunt namque ibidem IX ordines bonorum ſpirituum, videlicet angelos archangelos virtutes principatus poteſtates dominaciones thronos cherubin et ſeraphyn. Audierunt autem inennarabilia uerba, que nec poteſt homo nec licet homini loqui. Tunc dixit angelus ad animam 'Audi, filia, et ui[de] et incli[na] au[rem] t[uam] et obl[iuiſcere] populum t[uum] et domum p[atris] t[ui] et concu[piſcet] rex ſ[peciem] t[uam]. Quid dicam? Cunctis patet, quanta amenitas, quanta iocunditas, quanta dignitas et qualis ſublimitas ſit intereſſe choris ſanctorum angelorum patriarcharum

prophetarum, cernere laudabilem numerum martyrum, uidere candidatum exercitum virginum, audire nouum canticum gloriofum, afpicere apoftolorum chorum, confefforum mereri conforcium et, quod precellit omne gaudium, eum, qui panis eft angelorum et uita omnium, fentire clementem et pium. Ab illo ergo loco, in quo tunc ftabant, non folum omnem quam ante uiderant gloriam, verum et predictarum fupplicia penarum uidebant, et (quod magis miramur) terrarum orbem quafi fub uno folis radio uidere ualebant. Non enim quitquam creature poterit uifum obtundere, cui femel conceffum eft omnium creatorem uidere. Et miro modo cum ftarent in eodem loco, in quo prius fteterant, non fe uertentes in aliam partem, cunctos tamen ex eodem loco et ante et retro pofitos uidebant. Non folum autem uifus fed et fciencia dabatur ei infolita, ita ut non sibi opus effet interrogare amplius aliqua, fed omnia fciebat apte et integre quecumque uolebat.

## 24. De sancto Rvdano confessore.

Cum autem ita effet, affuit ei fanctus Rvdanus confeffor, cum magna leticia falutans eam et amplectens intime caritatis uifceribus ait 'Dominus cuftodiat introitum t[uum] et ex[itum] t[uum] ex hoc nunc et u[fque] in f[eculum]! Ego fum (ait) Rvdanus patronus tuus, cui iure debitor es fepulture.' Et cum dixiffet, ftetit nil amplius dicens.

## 25. De sancto Patricio et IIII notis episcopis.

Illa uero refpiciens uidit fanctum Patricium Hybernienfium apoftolum cum magna turba epifcoporum, inter quos IIII sibi notos uidit epifcopos, uidelicet Celeftinum Archinachanum archyepifcopum et Malachiam, qui predicto uiro fucceffit in archiepifcopatu, qui Romam tempore Innocencij pape veniens ab ipfo legatus et archiepifcopus conftitutus eft, qui omnia quecumque habere poterat cenobijs et pauperibus diuidebat. Hic conftructor erat LIIII congregacionum monachorum canonicorum fanctimonialium, quibus omnia neceffaria prouidebat et nil omnino sibi retinebat. Ibi etiam uidit Chriftianum Lugdunenfem epifcopum, ipfius predicti Malachie fratrem vterinum, mire continencie uirum et uoluntarie paupertatis amatorem, et Neemiam Duanenfis ciuitatis antiftitem, uirum fimplicem atque modeftum, fapiencia quoque et caftitate pre ceteris fulgentem. Hos IIII cognouit epifcopos. Erat quoque iuxta illos vnum fedile mirabiliter ornatum, in quo nemo fedebat. Dixit anima 'Cuius eft iftud fedile et quare fic uacat?' Refpondit ei Malachias 'Ifta fella eft cuiusdam de fratribus noftris, qui non migrauit a corpore; fed dum migrauit, in tali fede fedebit.' Sed cum in hijs omnibus anima ualde effet delectata, affuit angelus domini, qui eam antecedebat et blande alloquens illam dicebat.

## 26. De reditu anime ad corpus.

'Vidifti (inquit) hec omnia?' Et refpondens anima dixit 'Vidi, domine. Obfecro, fine me hic effe!' Et angelus 'Debes (inquit) ad corpus tuum redire et omnia que uidifti ad utilitatem proximorum memoriter retinere.' Verum cum anima audiffet quod ad corpus eam redire oporteret,

cum magna triſticia et fletu reſpondens ait 'Domine, quid tanti mali egi umquam, ut ad corpus meum relicta tanta gloria redire debeam?' 'Iſtam (ait angelus) non merentur intrare niſi uirgines, qui corpora ſua a tactu carnalis concupiſcencie cuſtodiunt et aduri magis pro tanta ac tali gloria quam coinquinari turpis concupiſcencie uolutabris malunt. Tu uero noluiſti ſcripturarum uerbis credere, et ideo non poteris hic manere. Reuertere ergo ad corpus tuum, vnde exieras, et tude abſtinere ab hijs que ante faciebas! Conſilium noſtrum ſimul et auxilium tibi non deerit, ſed preſencialiter atque fideliter tibi manebit.' Hoc cum dixiſſet angelus, conuerſa eſt anima, et cum ſe mouere conaretur, ſenſit ſe cito mole corporis eſſe grauatam. Nullum enim interuallum nec temporis unum ſenſit intereſſe momentum, ſed in uno atque eodem temporis puncto in celis loquebatur ad angelum et in terris ſe ſenſit induere corpus ſuum. Tunc debilis aperuit corporales oculos et ſuſpirans nichilque dicens reſpexit circumſtantes clericos. Sumens igitur corpus domini cum graciarum actione, omnia que habuit pauperibus diſperſit et ſignum ſancte crucis ſuis ueſtimentis quibus ueſtiebatur ſuperponi iuſſit. Cuncta uero que uiderat nobis poſtmodum recitauit et bonam uitam nos ducere monuit, uerbumque dei, quod ante neſciuerat, cum magna deuocione et humilitate ac ſciencia predicabat. Sed nos, quia uitam eius imitari non poſſumus, hoc ſaltem ad utilitatem legencium ſcribere ſtuduimus; vnde nos veſtram, o preclara G., humillima et deuotiſſima prece precamur clemenciam, vt noſtri licet indigni memoriam in ueſtris habeatis oracionibus, quatenus illi placeamus, qui actor horum eſt, que ante diximus, Ieſu Chriſto domino noſtro, cui eſt honor et gloria in ſecula ſeculorum. Amen. **Explicit.**

### 27. Excusacio predictorum.

Si quis obiciat contra predicta iudicans eſſe ridiculoſa, nec probabile in inferno eſſe penas corporales aut beſtias aut montes aut pontes et ſimilia que preſcripta ſunt, hic animaduertat, quod etiam ſacra ſcriptura per corporales ſimilitudines deſcribit inferni penas, Yſaia teſtante, qui ait 'Subter te ſternetur tinea et erunt uermes operimentum', et iterum 'Uermis eorum non morietur', et cantat eccleſia 'Libera eas de ore leonis ne ab' et cet. Et ſi mireris quod premia celeſtia per ſimilitudines corporeas exprimantur, lege apocalipſin, vbi etiam invenies, quod ciuitas celeſtis ibi per rerum corporalium ſimilitudines deſcribitur. Vnde ait 'Et erat ſtructura eius muri ex lapide iaſpidis, ipſa uero ciuitas aurum mundum ſimile uitro mundo, fundamenta muri ciuitatis omni lapide precioſo ornata (XXI°), et paulo poſt 'Et oſtendit mihi flumen aque uiue ſplendidum tanquam chriſtallum procedens a ſede dei et agni in medio platee, et ex utraque parte fluminis lignum uite afferens fructus XII per menſes ſingulos' et cet. Et numquit inconueniens eſt quod dyabolum horribiliter deſcribit tamquam menbris utatur humani corporis, cum etiam ipſe deus in apocalipſi quaſi lineamentis utens corporeis deſcribatur, vnde ait 'Caput eius et capilli eius erant candida tanquam lana alba et tanquam nix, oculi eius uelut flamma ignis et pedes eius ſimiles auricalco ſicut in camino ardenti' et cet. Nec non et ipſe Chriſtus animam Lazari et animam diuitis in inferno deſcribit tamquam menbris corporeis induantur, ait enim 'diues cum eſſet in tormentis eleuans oculos ſuos alonge uidit Abraham et Lazarum in ſinu eius dicens: Pater Abraham, miſerere mei et dimitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigerer linguam m[eam], quia cru[cior] in hac fl[amma].' Non ergo te moueat, ſi de ſpiritualibus tamquam de corporalibus in predicto opuſculo loquitur; ſicut enim res corporales conparantur ad uiſum corporis, ſic res ſpirituales ad intellectum anime exute a corpore conparantur. Anima igitur predicti militis quos uidit et pertulit horrores penarum non potuit ad corpus reuerſa hominibus ſenſu utentibus penas ſpirituales niſi per corporeas ſimilitudines explicare.

### 28. De loco non ualde bonorum.

Illud uero quod dicitur de loco non ualde bonorum et quod angelus dixit 'hic habitant boni non ualde, qui de inferni cruciatibus erepti nondum merentur ſanctorum conſorcio coniungi' hoc uidetur ſtare non poſſe cum fide eccleſie, quod anime plene purgate ſtatim euolent ad contemplacionem dei et conſorcium ſanctorum. Ad quod poteſt dici, quod penitus ſimile exemplum etiam inuenitur in libro qui collaciones patrum inſcribitur, ſ[cilicet] quod angelus cuidam anime quam duxit ſimilem locum amenum oſtendens pene eadem uerba ſubiunxit. Si autem utrumque uolumus ſaluare, forte poteſt dici, quod iſte locus amenus eſt locus illorum, qui tantum cum originalibus peccatis deceſſerunt, fonte baptiſmatis non renati: et hoc ſatis probabiliter dici poſſe videtur; uel melius poteſt dici, quod erant anime renatorum, que, licet eſſent ab ignibus erepte, tamen adhuc debuerunt amplius purgari deſiderio dilate beatitudinis, quia ſpes que differtur affligit animam, quia cum angelus prefate anime diuerſa merita puniendorum et plurima premia ſanctorum oſtenderit, de loco non renatorum, tantum cum originalibus peccatis decedencium, nuſquam facit ſpecialiter mencionem: vnde predictum locum putamus eiſdem deputatum. Quod autem ait angelus 'qui de inferni cruciatibus erepti' et cet., expone, non quod fuerint in inferno, ſed quia deus per ſuam miſericordiam precauit eis, ne actualiter peccantes deſcenderent ad infernum. Et ſi te mouet quod ait 'nondum merentur ſanctorum conſorcio coniungi', cum nec in die iudicii ſanctorum conſorcio non renati coniungantur, poteſt dici, quod angelus per ſuam ſentenciam noluit ante tempus iudicare, vt ſimpliciter diceret illos ſanctorum conſorcio indignos, malens relinquere talem ſentenciam diuine arbitrio uoluntatis, ab ore iudicis in extremo iudicio proferendam.

### 29. Excusacio illius quod dicitur de rege Comarcho.

Quod autem de rege Comarcho, quod per XX et vnam horam diei naturalem requiem habuerit et poſt hoc per tres horas cottidie ſupplicijs torqueatur, forte aliquibus non uidetur rationi conſonum, cum pena purgandorum credatur continua uſque ad plenariam purgacionem. Ad hoc poteſt dici, quod illud poteſt ex miſericordijs dei diſpenſacione factum eſſe, ut propter ſuffragia et oraciones pauperum, quibus el[eemoſ]inam tribuerat, ut ibidem legitur requiei habebat interualla. Leguntur etiam ſimilia plura de animabus quorundam priuilegiatis, que priuilegia non omnibus conmuniter conceduntur, ſicut etiam B[eatus] Gre[gorius] ſcribit in dyalogo, quod quidam hic poſt mortem puniti ſunt, et alibi legitur de B[eato] Patricio epiſcopo, quod impetrauit ſuis, ut in quibusdam partibus prefate Hybernie purgarentur, et dicitur conmuniter, quod ex diſpenſacione dei factum eſt. Similiter ſentire poſſumus de predictis. In uita fratrum pred[icatorum] legitur, quod habeant in purgatorio refrigerium aliquando.

### 30. Gregorius in dya[logoru]m li[br]o IIII ante finem.

Quia humanum cor grauis ualde duricie eſt, ipſa quoque penarum oſtenſio eque omnibus utilis non eſt. Nam illuſtris uir Stephanus, quem bene noſti, de ſemetipſo mihi narrare conſueuerat, quia in Conſtantinopolitana urbe pro quadam causa demoratus moleſtia corporis ſuperueniente defunctus eſt Qui ductus ad inferni loca vidit multa, que prius audita non credidit. Sed cum preſidenti illic iudici preſentatus eſſet, ab eo receptus non eſt, ita ut diceret 'non hunc deduci ſed Stephanum ferrarium juſſi'. Qui ſtatim reductus in corpore eſt, et Stephanus ferrarius, qui iuxta eum habitabat, eadem hora defunctus eſt. Sicque probatum eſt uera fuiſſe uerba que audierat, dum hec effectus mortis Stephani ferrarij demonſtrabat. Ante triennium quoque in hac peſtilentia, que hanc urbem clade uehementiſſima populauit, in qua etiam corporali uiſu ſagitte celitus venire et ſingulos quosque ferire videbantur, ſicut noſti, Stephanus iſdem defunctus eſt Quidam uero miles in hac eadem noſtra urbe percuſſus ad extrema peruenit et eductus de corpore exanimis iacuit, ſed cicius redijt, et que cum eo fuerant geſta narrauit. Aiebat enim, ſicut tunc res eadem etiam multis innotuit, quia pons erat, ſub quo niger atque caliginosus et intolerabilis fetoris nebulam exalans fluuius decurrebat Tranſacto autem ponte amena erant prata atque uirencia odoriferis herbarum floribus exornata, in quibus albatorum hominum conuenticula eſſe uidebantur Tantusque in loco eodem odor ſuauitatis inerat, ut ipſa ſuauitatis fraglancia illic deambulantes habitantesque ſaciaret. Ibi manſiones diuerſorum ſingule, magni-

tudine lucis plene. Ibi quedam mire potencie edificabatur domus, que aureis laterculis conſtrui, ſed cuius eſſet, non potuit agnoſci. Erant enim ſuper rippam predicti fluminis non nulla habitacula; ſed alia exſurgentis fetoris nebula tegebantur, alia autem exſurgens fetor a flumine minime tangebat. Hec ergo erat in predicto ponte probatio, ut quiſque per eum iniuſtorum uellet tranſire, in tenebroso fetenteque fluuio laberetur; iuſti uero, quibus culpa non obſiſteret, ſecuro per eum greſſu ac libero ad loca amena peruenirent. Ibi ſe etiam Petrum, eccleſiaſtice familie maiorem, qui ante quadriennium eſt defunctus, deorſum poſitum in locis teterrimis magno ferri pondere religatum ac depreſſum uidiſſe confeſſus eſt. Qui dum requireret, cur hoc eſſet, ea ſe dixit audiſſe, que nos, qui eum in hac eccleſiaſtica domo nouimus, ſcientes eius acta recolimus. Dictum namque eſt: hec idcirco patitur, quia, ſi quid ei pro facienda ulcione iubebatur, ad inferendas plagas plus ex crudelitatis deſiderio quam obediencie ferulebat. Quod ſic fuiſſe nullus qui eum nouit ignorat. Ibi etiam quendam peregrinum presbyterum uidiſſe fatebatur, qui ad predictum pontem ueniens tanta per dum auctoritate tranſiuit, quanta et hic ſinceritate uixit. In eodem quoque ponte hunc quem predixi Stephanum ſe recognouiſſe teſtatus eſt. Qui dum tranſire uoluiſſet, eius pes lapſus eſt, et ex medio corpore iam extra pontem deiectus, a quibusdam teterrimis viris ex flumine ſurgentibus per coxas deorſum, a quibusdam dealbatis et ſpecioſiſſimis uiris cepit per brachia trahi ſurſum. Cumque hoc luctamen eſſet, et hunc boni ſpiritus ſurſum, mali uero deorſum traherent, ipſe qui hoc uidebat, ad corpus reverſus eſt, et quid de eo plenius geſtum ſit, minime cognouit. Qua in re de eiusdem Stephani uita datur intelligi, quia in eo mala carnis cum el[eemoſin]arum oper[aci]one certabant. Qui enim per coxas deorſum, per brachia trahebatur ſurſum, patet nimirum, quia et el[eemoſin]as amanerat et carnis uicijs perfecte non reſtiterat, que eum deorſum trahebant. Sed in illo occulti arbitri examine quid in eo uicerit, et nos et eum qui uidit et reuocatus eſt, latet; conſtat tamen, quia iſdem Stephanus poſtquam ſicut ſuperius narraui, et inferni loca uidit et ad corpus redijt, perfecte uitam minime correxit, qui poſt multos annos de corpore ad certamen tante mortis exijt. Qua de re colligitur, quia ipſa quoque inferni ſupplicia cum demonſtrantur, aliis ad adiutorium, alijs uero ad teſtimonium ſunt, vt iſti uideant mala que caueant, illi uero amplius puniantur, quo inferni ſupplicia nec cognita uitare noluerunt. Petrus. Quid eſt, queſo te, quod in amenis locis cuiusdam domus aureis laterculis edificari uidebatur? Ridiculoſam eſt ualde, ſi credimus, quod in illa uita adhuc metallis talibus egeamus. Gregorius. Quis hoc, qui ſanum ſapit, intelligat? Sed ex eo quod illic oſtenſum eſt, quisquis ille eſt, cui manſio illa conſtituitur, aperte datur intelligi, quid eſt quod hic operatur. Nam quoniam premium lucis eterne el[eemoſin]arum largitate promerebitur, nimirum conſtat, quod auro edificat manſionem ſuam. Quod enim ſuperius memoriam fugit ut dicerem, iſdem miles qui hoc uiderat narrabat, quod eoſdem laterculos aureos ad edificacionem domus ſenes ac iuuenes, puelle et pueri ferebant: qua ex re colligitur, quia hij quibus hic pietas facta est, ipſi illic operatores eſſe uidebantur. Sic etiam iuxta nos quidam Deusdedit nomine religioſus habitabat, qui calceamenta ſolebat operari, de quo alter per reuelacionem uidit, quod eius domus edificabatur; ſed in ea conſtructores ſui in ſola die ſabbati uidebantur operari, quia quitquid eidem ex uictu et ueſtitu ex labore ſupereſſet die ſabbati in ecc[leſi]a B[eati] Petri conſueuerat pauperibus erogare. Petrus. Quid eſt quod pontem, quid eſt quod fluuium uidit? Gregorius. Ex rerum, Petre, ymaginibus penſamus merita cauſarum. Per pontem quippe ad amena loca tranſire iuſtos conſpexit, quia anguſta ualde eſt ſemita que ducit ad uitam; et fetentem fluuium uidit, quia ad yma cottidie defluit carnalium hic uiciorum putredo.

**Versus in quibus tanguntur pene predicte.**

Ferrum mactantes, mons ſulfuris inſidiantes,
Vallis olens tumidos adherens torquebit auaros,
Pons cruciat fures, Phriſtinus luxuriantes,
Beſtia quos peperit diros colubros pepererunt,
Vvlcanus fabricat ſceleri ſcelus accumulantes.